




SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

DE Σ LITERA

IN LINGUA GRAECA

INTER VOCALES POSITA

COMMENTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CAROLUS ALFREDUS MÜLLER
SCHEIBENBERGENSIS

LIPSIAE

TYPIS G. KREYSINGII

MDCCCLXXX

In hac commentatione, quam abhinc duos paene annos confecimus, librorum, qui postea in lucem prodierunt, rationem habere non potuimus.

PRAEMONENDA.

Graecae linguae lex illa, ex qua σ inter vocales elidi scimus, quondam a Kuhnio (K. Z. II 135 sqq.) tacta et nuper ab Osthoffio (das verbum in der nominalcomposition, excurs über intervocales σ) accuratius disquisita est, quamquam in universum inter omnes satis constat (cf. Schleicher, Comp.[3] 214; Curtius Grundz.[4] 378), tamen haud sine fructu retractari posse mihi videtur, cum propter multitudinem exemplorum, tum quia illorum studio rem ad hoc tempus non puto esse peractam: ac Kuhnius quidem legem nondum satis perspexit, Osthoffius summas quaestiones presse tractavit, nonnulla quaedam optime exposuit, sed quia nec formas congessit, ex quibus σ elisum esse videtur, nec singula vocabula examinavit, quae σ inter duas vocales positum praebent, non omnem dubitationem sustulit. Nos igitur in eam rem maxime incumbemus, ut quae ille omisit, adjiciamus. Atque in priore quidem parte quam plurima exempla elisionis cumulare studebimus; qua in re dialectorum formas afferre non neglegemus, ut paene perfectus earum consensus appareat, unde concludamus, sigmatis elisionem ante separatas singulas dialectos factam esse; quae enim exempla contravia esse videntur, ea omnia eiusmodi sunt, ut σ ante e regula elisum ex analogia aliarum vocum denuo insertum esse suspicari liceat.

Partis deinde posterioris erit legem certis finibus circumscribere; tractantibus enim nobis ea vocabula, in quibus σ inter duas vocales positum spectatur, elucebit, in tota hac lege non nisi de σ simplici originario agi (si quidem elisionem sigmatis posterioribus temporibus apud Dorum stirpes factam excludimus), non de alio quod posteriore assimilatione natum est. Ad quod perficiendum omnia genera assimilationis, quibus σ ortum est, accurate pertractabimus, inter alia etiam quaerentes, quid de σ cum *j*, cum ϝ consociato factum sit.

PARS PRIOR.

Σ EX REGULA EVANUIT.

A. Σ RADICALE EVANUIT.

1) ἔαρ, εἶαρ, boeot. ἶαρ n. „sanguis“ a Curtio (Grz.[4] 400) cum sscro *asṛj* n. et lat. *assir* n., *assarātus* comparatur. Nos formam ex qua Graecarum dialectorum vocabula nata sint, fuisse censemus *asjar*. Ad quam unum non quadrat Hesychianum illud ἦαρ· αἷμα, quod fortasse librariorum neglegentia ortum est. Van. p. 74*).

1[b]) ἔαρ „ver“. Ex linguis propinquis lit. *vasarà* f. „aestas“ simillimam formationem praebet. Quibus formis primarium *vasar* indicari videtur. Cui obstat Homericum εἰᾰρῐνός et Hesiodeum εἶαρ (Opp. 462); sed illud minoris momenti est, quia forma ἐαρινός, quam ex Homerico Ϝέαρ concludamus necesse est, hexametri mensuris omnino non convenit, hoc in initio versus positum jure a Goettlingio in editione Hesiod. in ἔαρ mutatum est. Van. p. 943.

2) Aeol. αὔως, ion. ἠώς, att. ἕως, dor. ᾱ̓ώς, lacon. ἀβώρ (Hesych.; vd. Ahrens d. d. p. 49), cui voci fortasse ἕωλος „vapidus“ adjungere licet. Ex linguis propinquis satis est afferre lat. *aurora*. Van. p. 944.

Ab eadem radice, qua ἠώς, derivatur

3) εὔω, εὕω „ustulo“. σ servatum agnoscitur in εὔστρα „scrobis, in quo sues jugulati ustulabantur“. Cf. sscrum *ošâmi*. Grz.[4] 400.

Sejungenda esse puto ab hac radice

4) αὖος, αὐαλέος „siccus“, αὐείνω „sicco“. His verbis

---

*) Verba quae derivata esse constat, non semper affero. Summam industriam in hac re posuit Vaniček in libro suo: Griech.-lat. etymolog. wörterbuch. Lips. 1877, cuius locos saepius adscribo, praesertim cum ibi alii libri qui ad nostram rem pertineant plerumque collati sint.

radix inest *sus*, quam cognoscimus ex sscro *çušyati* „siccat“, lit. *saúsas* „siccus“, slav. *suchŭ*.

5) ἰός „sagitta“. Huic voci respondent sscr. zend. *iš-u-*. Propter productionem vocalis ι, ut alii, Brugmanus (stud. IV 170) formam primariam ἰσ-Ϝο-ς posuit et in formis Asiaticis *u* ex *va* ortum fecit. Nos formam primariam ἰσ-ο-ς fuisse censemus. (Cf. lat. *vīrus* cum sscro *vĭša*). Van. 87.

Cum hoc conjungitur in lexicis, quod suo loco tractandum est,

6) ἰός, „sucus, virus, robigo“. Cf. sscr. zd. *viša*, lat. *vīrus*.

7) ἰότης „voluntas“ quod vocabulum Boppius e radice sscra *iš* derivavit.

Cum radice sscra *iš* „movere, excitare, adjuvare“ consociata sunt verba Graeca

8) ἰαίνω „fovere, delectare, mederi“ et ἰάομαι „mederi“. Quorum alteri respondet fere ad literam sscr. *išaṇyati*, alteri simillinum esse videtur *išayati* „tumescere, refrigerare“. Nihilominus ἰάομαι sic (cf. Fick. I[3] 29 sq.) explicari non potest, quia ι productum est et vestigia spirantis de initio amissae apud Homerum exstant (cf. *E* 899, *τ* 460). Fortasse igitur Ϝῑάομαι rectius cum ἴς ἰνός et lat. *vis* (pl. *vīres*) conjungitur. Cf. Grz.[4] 391 sq. Radix verbi ἧσθαι comparet in sscro *âs* „sedere“. Cuius verbi 3. pl. ind. praes. Homerica

9) ἕαται, vel εἵαται (cf. Curtium in stud. VI 267), quo in verbo σ radicale inter vocales positum amissum est. Hoc in loco posuerunt alteri εἱαμένη quoque (scil. χώρα) i. e. „locus demissus et palustris“, alteri (Classenium auctorem nomino) huic voci radicem *vas* „vestire“ inesse putant, quorum controversiam discernere non possum.

Eadem ratione, qua ἕαται, εἵαται a rad. *âs* derivatε sunt, altera forma Homerica

10) εἵατο descendit a rad. *ves* „vestire“ (*Σ* 596), cf. Van. p. 938. De genitive εἱανοῦ egit Leskien (stud. II 85).

11) Att. arcad. ἱερός, ion. ἱρός, lesb. ἶρος, el. ἰαρός, dor. thess. boeot. ἱαρός „sanctus“. Cf. sscrum *iš-ira-* „validus, alacer“. Van. 88.

12) Voci ὀϊστός „sagitta" radicem *as* „jacere" inesse dixit Fickius (II[3] 29); qui vir doctus comparavit lat. *arista* (?) et sscr. *asišṭha* „optime sagittas mittens". Cf. Van. 76.

Cum lat. *auris* et *ausculto*, lit. ausìs, slav. *ucho*, *ušese*, got. *auso* conjungitur

13) οὖς ὠτός, cuius formae contractae et non contractae σ intervocale amiserunt. Cui voci addenda sunt

14) παρ-ήϊον „gena" et ἠϊών „litus"; cf. Fick. II[3] 28, Grz.[4] 405.

15) κέωρος „urtica", κεωρέω „prurio" a Fickio (I[3] 49) cum sscr. *kašati*, *kašate* „fricare, radere" comparata sunt, quibus addit lat. *cârere*. Quam aequationem certam non ducimus, quia (secundum Ascolium fonol. 228) in lingua sscra *š* e *s* simplici non post *a*, *ā* vocales ortum esse videtur. Van. 149.

16) Cum γράω „edo, rodo" confertur sscr. *grasati* „devorat. comedit" et γράσ-τι-ς „pabulum". Van. 205.

17) γεύω „gusto" idem est ac sscr. *jošâmi* „amo, eligo, gusto", got. *kiusa*; cf. lat. *gus-tat*. Van. 231.

18) πέος „penis" prorsus idem est ac sscr. *pasas* n. Van 531.

Cum vocabulo

19) ἠ-ύς, ἐ-ύς, cuius neutrum est εὖ, comparantur (cf. Fick. I[3] 424) sscra *vasu-s* „bonus", *vasu* „bonum, possessum", et cum genetivo pl. ἐάων ab ἐα quodam vocabulo derivato sscrum *vasâ* „medulla, nucleus". Sed ἐύς cum vestigium digammi non exhibeat, nuper a Fickio (Bezzenb. Beitr. I 58) cum celtico *avi* conjunctum est; ego Curtium sequi malo, qui (Grz.[4] 379) ἐυ- ex ἐσυ- natum a radice *as* „esse" repetit, unde etiam sanscrita particula *su-*. Contra est digammi vestigium in voce ἐάων, proditum illud hiatu illicito Ω 528, ut Knoesius ostendit (De dig. Hom. p. 48). Recte igitur radici *vas* attribuitur, quamquam minus bene sanscrito illi *vasâ*, quippe quod nil nisi „adeps, sebum" significet.

20) νυός par est latino „nurus", cf. Van. 1047.

In unum licet comprehendere

21) *μῦς*, *μυ-ός* „mus, musculus", *μυῖα* „musca", *μύαξ* „mytilus" (idem ac *murex*) et derivata. Voces Latinae *σ* e vocabulis Graecis amissum aperte indicant; et quia sscra terminatio femininis propria *-î* locum Graeci *-ιᾰ* tenet, sscr. *mûšî* „mus" plane congruit cum Graeco *μυῖα* „musca". Varietus notionum eadem est, quae sscri *mûšâ* et slavici *mucha*, quorum alterum „murem", alterum „muscam" significat. Cf. Van. 742, qui tamen *ἄ-μυ-ος* „sine musculis" omisit.

22) Cum verbis *λάω* „volo" et *λιλαίομαι* „cupio" comparatur vox *λάστη· πόρνη*. Ex linguis propinquis afferuntur slav. *las-kavŭ* „blandiens", lat. *las-cîvus*, quae ad stirpem quandam *las-ka* reducenda sunt (de *ka* suffixo ad formationem primitivam adhibito cf. Schleicheri comp.[3] pp. 386. 462.), et sscr. *laš* „cupere", quo radix *las k* consona aucta continetur, quia secundum Ascolium (fonol. 228) sscr. *š* post *a*, *ā* vocales e *sk* ortum est. Curtius (Grz.[4] 363) addit adjectivum *λᾱρός* „suavis, jucundus" ex *λασ-ερο-ς*[1] natum. (Cf. Harder, de *α* vocali apud Homerum longa, sub verbo). Si praeterea Curtius recte *λεωργός* huic radici subjunxit, *λαια* quoddam vocabulum ex *λασια* ponendum est, quemadmodum ex *γαῖα* + *Ϝεργος* *γεωργός* exstitit. Cf. Van. 770.

[1] Optime a Fickio (II[3] 246)

23) *ῥῖον* „promontorium, culmen" cum lit. *virszus*, slav. *vrŭchŭ* cet. comparatum est. Cf. cum aeol. *Γρίον*. Hom. Θ 25, Ξ 154.

24) *ἠέλιος*, *ἥλιος* Curtius (Grz.[4] 401 sq.) cum lat. *Auselius* adaequavit. Alii ad haec vocabula explicanda radicem *svar* adhibuerunt; si tamen formas dialectorum conferimus cum formis vocis *ἕως*, cuius radix est *us* „lucere", propinquitas vocabulorum elucet; habemus enim

αὠς, *αβώρ*: *αέλιος*, *αβέλιος* (dor.) = *ἠώς*:
ἠέλιος (ion.) = *ἕως*: *ἥλιος* (att.).

Ideo ad vocabulum aeol. *αὔως* concludere possumus formam *αὐελιος*.

Radicem *θεσ* (cf. *θεσσάμενοι· αἰτήσαντες*; *πολύ-θεσ-τος* „valde exoratus") Curtius (Grz. 509) inesse censuit nomini proprio Homerico

25) *Πασι-θέη*. Alii praeterea *θεός* ex hac ipsa radice natum existimant, qua de re copiose egit Curtius Grz.[4] 503 sqq. Probatur hoc eo potissimum, qnod vocabula *θέσκελος*, *θεσπέσιος*, *θέσφατος* cum nomine quodam radicali *θεσ* composita videntur, quod in vocibus *θεός*, *θεά*, *θεῖος* diversis suffixis auctum esse censemus; praeterea *θείκελος* (Aristoph. Lysistr. 1252) fortasse ex *θεσικελος* ortum est. Notio autem radicis *θ ε σ* ad deum significandum haud minus apta est quam radicis (sscrcae) *is*, quam Corssen (K. Z. IX 138) vocabulo Etruscorum *aisar* „deus" subesse contendit.

26) *λαῖον· δρέπανον* (apud Apoll. Rhod.) formam primariam *λαισον* habuisse, Fickius (II[3] 221) conclusit.

27) *λίαν*, ion. *λίην* secundum Fickium (l. l.) ita cum slav. *lichŭ* (et „nimius" et „privatus") comparari potest, ut sit accusativus fem. gen. adjectivi ad usum adverbii translatus, et *λέως* forma eiusdem notionis Archilochia fortasse per metathesin, quae dicitur, quantitatis nata est.

Nescio an hic

28) *ὄαρ* quoque, „uxor, socia" nominandum sit. Primum quidem puto Buggio (stud. IV 337) assentiendum esse, qui hoc vocabulum cum derivatis *ὄαρος*, *ὀαρίζω*, *ὀαριστύς*, quae omnia ad familiaritatem spectant, conjunxerit; deinde propter magnum numerum locorum, qui productionem syllabae correptae vel hiatum ante has voces praebent, consonam aliquam elisam esse verisimile est. Non mala *igitur videtur* L. Meyeri conjectura, qui *ὄαρ* cum lat. *soror* composuit. Quod contra hoc afferri potest, jam Curtius attulit (Grz.[4] 356). Accedit, quod vocis idgcae *svasar* prior syllaba in linguis Europaeis per *e* scribitur excepto vocabulo lat. *soror*, cuius *o* ex *va* per contractionem natum esse putatur. *σ* igitur hic extritum non satis comprobatum est. In voce

29) *χάος* „rudis indigestaque moles" (Ov.) spirantem elisam esse conceditur, et Vaniček quidem cum aliis formae primariae *ϝ* inseruit. Nos, quia hoc concesso in aliis diaectis aliae formae et apud Homerum quidem *χηος* exspectandum esset (cf. Brugman stud. IV 142), *σ* missum esse ponimus. Quae sententia eo primum fulcitur quod *χάσ-μα* „vorago,

fauces", *χάσμη* „oscitatio" et inde derivatum *χασμάομαι* „oscito" re vera *σ* praebent; deinde in vocibus *χάννος*, *χάννη* „hiatula" (piscis quidam est) et in *χήμη* „oscitatio" (idem est nomen conchae cuiusdam) fortasse *σ* assimilatione seu compensatione e vanuit. Van. 236 sq. Denique nobis non incredibile videtur, vocabula *χάος*, *χάσμα* cet. a verbo *χαίνω* et a vocibus *χαῦνος*, *χαύλιος* separanda et cum radice sscra *ghas* „devorare" conjungenda esse.

30) Verba *κρυός* „frigus", *κρῦμός* „algor, gelu", *κρυσταίνω* „gelare" *κρύσταλλος* „glacies" recte a Curtio (Grz.[4] 155) ad unam radicem congesta sunt. In vocabulis quidem linguarum propinquarum *σ* non invenitur (cf. sscr. *krūra-* „durus, saucius", lat. *crudus*, *crudelis*. (*Crūsta*, quod ibidem additur, propter productam syllabam priorem fortasse cum Graeco *κρούω* conjungendum est de quo infra dicemus). Radix Graeca cum litera determinativa quam dicunt novam notionem accepit. E radicis forma *κρυσ* facile omnes voces deduci possunt: *κρύσταλλος*, *κρυσταίνω* ad stirpem *κ ρ υ σ - τ ο* - spectant, in verbo *κρῦμός* producta vocula *υ* ex forma primitiva *κρυσμος* explicatur, et *κρυός*, quod his vocibus conjungendum videtur, exstitit *σ* eliso ex *κρυσος*.

31) *ζόη* „spuma" (Hesychius: *τὸ ἐπάνω τοῦ μέλιτος*) syllabam radicalem *ζοσ* continet, quam non alienam esse a radice *ζεσ* Vaničekius dicit (p. 758).

32) *ζέω* cum derivatis,[2]) quorum radicem quondam *ζεσ* fuisse et temporum formatione concluditur et confirmatur linguis propinquis; in sscra enim radix *yas*, in zdca *yaš*, in germ. *yës* de „bulliendo, aestuando, fervendo" dicitur (Leskien l. l. p. 86).

33) *τρέω* ex *τρεσω* ortum est (cf. Lesk. stud. II 86).

34) Verbi *σείω* formae *σέσεισμαι* (Pind., Ar.), *ἐσείσθην*

---

*) In sequentibus partibus huius disputationis saepius nobis ea retractanda erunt, de quibus Leskien in egregia illa commentatione egit, quae inserta est Curtii Studiis (II p. 67 sq.). Maxime mea interest omnes voces congerere, quas *σ* amisisse verisimile est.

(Soph., Herod.), σειστός (Ar.) σ praebent[3]). Inter derivata voci σεισμός „terrae tremor" summa fides est (Soph., Ar.), cetera vd. apud Van. p. 1050, qui ponit σϝε radicem secundum Curtii (Grz.[4] 375) conjecturam e rad. *su* propagatam. Sed mihi Froehdii (K. Z. XXII 263) etymologia probabilior videtur, quippe qua et σσ in ἐσσεισάμην, ἐπισσείω et σ in σέσεισμαι cet. planum fiat. Putat enim σείω idem esse ac sscr. *tvešāmi*, cuius notionem propriam fuisse censemus „moveri, agitari." Nam significationem splendendi seu nitendi, quam radix *tviš* posterioribus temporibus apud Indos exhibet, si cum hac comparamus Vedicum *tveša-* „violentus, vehemens", ex illa notione vehementis motus derivemus necesse est, cum notio violenti non ex notione splendendi effici possit. Nullam difficultatem habet, quod vocalis aucta etiam in temporibus praeter praes. et imperf. invenitur, cuius formationis similia permulta praesto sunt, e. g. πέπλευσμαι a rad. πλυ, νένευκα a rad. νυ, πέφευγα, πεφεύγαμεν a rad. φυγ cet. Quod denique Froehde σ=σϝ ex-idg. *tv* natum existimat, analogiae l. l. collatae sunt: σέ pro *tva* (dor. τέ), σάκος „scutum" comparandum cum sscro *tvacas* n. „corium, tegmen", σύρβη (seu τύρβη) „tumultus" componendum cum lat. *turba* (a rad. *tvar*). Quibus ipse addere possum, quod suffixo sscro *-tvana-* aqud Graecos respondet -συνο- (cf. Bopp vergl. gramm. III 263) et quod in τέσσαρες, ion. τέσσερες, Hom. πίσυρες, aeol. πέσσυρες σσ (σ) ex *tv* natum est (cf. infra).

35) ἀκούω. Huic verbo par esse judicavit Delbrück (K. Z. XVI 271) got. *hausjan*. Allii (Kuhn, Ebel, Pott, Curtius) verbum cum rad. *skav* conjunxerunt, quae est in got. *us-skav-jan* „cautum esse" et in gr. θυο-σκό-ο-ς pro -σκο-ϝος. Hi viri docti ad suam sententiam eo adducti esse videntur, quod κοᾷ (ἀκούει Hesychius), θυοσκόος, κοννέω, κοέω, ἀκούω, omnia quae Van. p. 1110 sq. contulit, ad unam formam primariam referenda esse censebant. Cum

---

*) Perf. act. forma σέσεικα, quae obsistere videtur, nihil tamen ad rem affert, cum perf. act., etiamsi praesenti σ inhaesisse constet, semper asigmatum formetur (cf. τετέλεκα, ἔσπακα cet.). Qua de causa in his quaestionibus perfectum semper missum faciemus.

tamen formae temporum et derivatorum, quae σ literam habere debent, eam omnes habeant — affero *ἀκουσθείς* (Thuc. III 38), *ἀκουστός* (Plat.), *ἄκουσμα* (Soph. et Plat.) — verisimile videtur, formas, quae ab α incipiunt, ab alteris sejungendas et cum got. *hausjan* conjungendas esse, cui forma supponenda *κουσjω* optime respondet. Quae etymologia non infirmatur *ἀ-* praefixo, ad quod explicandum complures exstant rationes, quas singillatim proponi hoc loco non est necessarium (cf. Grz.[4] 709 sqq.). Atque propter *ἀ-* perf. act. quoque radici *κουσ* subjungam (*ἀκ-ηκουσ-α*, *ἀκ-ηκου-α*, *ἀκήκοα*). Contra forma Hesychii *κοᾷ* fortasse alteri radici adscribenda est.

Kraushaarii (stud. II 429) explicatio verbi *ἐάω εἰάω* (lac. syrac. *ἐβάω*) ex *ἐσϝajω*, quantum video, adhuc laudatorem non invenit.

36) *θλάω* „comprimo" (Leskien l. l. p. 90). Forma *φλάω*, quae saepe apud Dores obvenit, non tamen deest Ionibus, plerumque eandem temporum formationem praebet. Praesentis forma *φλάσσω* legitur apud medicos posterioris aetatis. Cum Leskienio igitur formam *θλασ* (et *φλασ*) proponimus, nam *θλαδίας* „eunuchus" nullius momenti est. Ad radicis formam autem Indogermanicam inveniendam fortasse licet sscr. *gharš* „terere" (a rad. *harš* jam propter significationem sejungendum) comparare, praesertim cum ved. *ghṛšu* notionem ad verbum *θλάω* aptissimam „zermalmer" habeat; de *gh* consona, Graeco *θ* respondente, cf. *θέρος* cum rad. sscra *ghar* (Grz.[4] 485).

37) *κλάω* „frango" a Leskienio (l. l. p. 91) in formam primariam *κλασjω* reducitur. Sed cum *κλάω* inprimis de surculis dicatur et surculi ipsius nomen sit *ὁ κλάδος*, nos σ temporum ex assimilatione mediae dentalis natum esse credimus, ita ut praesentis forma primitiva sit *κλαjω*, futuri *κλαδσjω* cet. Qua cum conjectura aliae formationes voci *κλάδος* similes congruunt. Cf. Van. p. 128.

38) Verbum *ξέω* „scabo, polio" non separatum a *ξύω* „polio" tractari potest, quia similitudine formationis et notionis propinquitas indicatur; ideoque Leskien (p. 91) posuit duas radices literarum parva variatione variationem

parvam notionis ostendentes: *ξεσ* et *ξυσ*. Ex nostra autem sententia *ξόος* „radere“ (Hesychius explicat vocabulis *ξυσμός*, *ὁλκός*), *ξοΐς* „instrumentum ad sculpendum“, *ξόανον* „omne sculptum“, *ξύλον* „materia“ (raro „silva“ i. e. vernacula „lebendiges holz“) et verba *ξίω* et *ξέω* ad radicem *ξύ* et eius formas auctas *ξεν*, *ξον* revocanda sunt, qua de re eo minus dubitamus, quod *ξύω* et *ἔξυσα* fere semper cum *ῡ* scribuntur (cf. *ξῦον* apud Hom. *χ* 456, *ἔξῡσα* *Ξ* 179), nam cum Leskienio formam radicis *ξῡσ* ponere, non sine periculo est (verba enim omnia, quae Leskien l. l. attulit neque in praesenti tempore neque in aoristo longam vocalem praebent). Fortasse igitur verbum *ξύω* de forma *skujāmi* descendit (cf. apud Hom. *λΐω* et *λύω*) et litera *σ*, ubi obvenit, ex *τ* est nata quod ut credamus, adducimur analogia verbi Lituanici *skutù*, *skùsti*, cuius notio est „vadere“, *ξέω* vero aut, ut supra diximus, ex forma *ξεvω* natum est, in cuius tempora, postquam *ϝ* seu *v* evanuit, *σ* ex analogia formarum verbi *ξύτω* illatum sit, aut omnino sejungendum et radici *ξεσ*- i. e. *skas* attribuendum est. Cf. Van. p. 1117.

39) *πτύω* „spuo“. A Leskienio (p. 93) stirps *πτυς* recte posita videtur; cf. Van. p. 1197. Cum linguae propinquae nulla vestigia *σ* consonae praebeant (lat. *spuo*, lit. *spiáuju*, slav. *pljują*, got. *speiva*) et cum *πτύω* in temp. praes. et imperf. plerumque per *ῡ* scribatur, praesens quidem ad forman *πτυjω* revoco (cf. quae sub verbo *ξέω* de forma *ξῦω* diximus), cetera tempora e stirpe aucta formata esse puto. (Ex verbo *πῡτίζω* „saepe spuo“ stirpem per dentalem propagatam concludere non satis cautum est, quia ex analogia verborum *ἐρατίζειν* „cupere“, *ἀκοντίζειν* „jaculari“, *κτεατίζειν* „acquirere“, *λακτίζειν* „calce trudere“, *πειρητίζειν* „probare, explorare“ al. formatum esse potest.)

40) *σπάω* „extendo, traho, scindo“. (Cf. Leskien p. 90.) Nos cum dor. *σπάδιον* (idem ac *στάδιον*), *σπαδών* „ramus descissus“ (Hippocr.), *σπᾶδιξ* (id.), *σπαδίζω* (fut. *σπαδίξω*) „pellem detraho“ (Hdt. V 25) nec non linguae propinquae dentalem explosivam exhibeant (cf. lat. *spatium* Fick II^3 278), non incredibile esse ducimus, hic eundem metaplasmum

agnoscendum esse, quem nos in verbo *κλάω* evicisse speramus. Van. p. 1163 sqq.

41) *μαίομαι* „quaero“ saepius cum praepositionibus (*ἐπι-μαίομαι* „tango, tento“ cet.) usurpatur. Iam Curtius (vl. I² 298) Leskienio (p. 88) assensus est qui hoc verbum a radice *mas* derivat; et fertur radix *mas* in Dâthupâṭho Sanscrito. Fortasse etiam perf. *μέμαα* et praes. *μῶμαι* (fut. *μάσομαι* aor. *ἐμασάμην*) σ amiserunt. E cognata radice verba *ματεύω*, *μαστεύω*, *ματέω* „perscrutor, nitor“ oriunda esse videntur. Van. p. 666 sq.

42) *ναίω* „habito“ a *νασjω* derivatur (cf. Lesk. p. 87). Quocum cognata sunt nomina *ναιέτης*, *ναέτης*, *ναέτηρ*. Huc *νέομαι* quoque pertinet, quod artius cohaeret cum subst. *νόστος* (cf. Curtius, Leipzgr Stud. I 152), quae etymologia formis dialecticis: ion. *ὑπο-νησαμένη* (Hippocr. IX, 190), dor. *νησοῦντι* (Sophr. fr. 19). utraque non sine dubio recepta, labefactari non potest.

43) Radicem verbi *μύειν* „coire“ (de labiis et oculis dicitur) propter longam vocalem et formas nonnullas linguarum propinquarum (lat. *mūtus*, sscr. *mûta-* „ligatus“ a rad. *mu* et *mûka-* „mutus“) nec non Graecas (*μυκός*, *μύτης*, *μύττης*, *μυττός*) et per dentalem et per gutturalem propagatam esse censemus et alteri radici quidem perf. *μέμῡκα* (cf. sscr. *mûka-*), alteri reliqua tempora praeter praes. et imperf. esse assignanda.

44) *ζούσθω· ζωννύσθω* Hesychii glossa a Curtio (Grz.⁴ 611) in formam primariam *ζοσεσθω* reducitur. Sed cum linguae cognatae: zd. *yâoṅh*, *yâh* „cingere, induere“, lit. *jûsti* id., slav. *po-jas-ŭ* „cingulum“, et Graecum *ζώννυμι* ipsum radicem *yâs* indicent, fortasse ex forma *ζουσεσθω* explicandum est. Ponimus igitur dialectum, ex qua Hesychius hanc formam descripsit, vocalem ω obscuriorem, i. e. pro *ζωσεσθω* pronuntiasse *ζουσεσθω*.

45) *θραύω* „frango, flecto“ conjungitur a Fickio (I³ 121) cum got. *driusan* „cadere“; praesentis formam igitur pono *θραυσjω*, qua omnes formae huius stirpis explicantur (*ἐθραύσθην* apud Sophocl. al., *θραυσμός*, *θραυστός*, *θραῦσμα* et *θραῦμα*).

46) *κείω* „findo“ a Curtio (Grz.[4] 145) ab eadem radice *σκε*, *σκα* derivatur, qua lat. *scio*, *descisco*. Probabiliora nobis videtur protulisse Delbrück (K. Z. XVII 80); cum enim verba *κέστρος* „sagitta“, *κέστρα* „dolabra“, *κέστρον* „fistula sutoria, stilus“ manifesto euisdem originis sint, ac sscr. *çastra-m* (armorum genus), *çastra-s* „ensis“, *çastrî* „culter“, nos *κέαρνον* „securis“ quoque, *κεάζω*, *κείω* ad eadem conferimus. E radice ergo *kás* aliud in lingua Sanscrita, aliud in lingua Graeca praesens formatum est (*çasati*, sed *κεσjει*). Addidit Delbrück adjectivum *κεστός* „acu pictus“.

47) *χρΐω* „tero, ungo“. Quamquam nobis, quae de veriloquio huius verbi prolata sunt (cf. Grz.[4] 203. Fick I[3] 83. Siegismund stud. V 181), adhuc incerta esse videntur, tamen formam praesentis sigmaticam *χρισω* seu *χρισjω* ponendam esse ducimus; scribitur enim hoc *σ* semper in iis formis, in quibus *σ* consonam dentalis sequitur: aor. pass. *ἐχρίσθην*, part. *χριστός*, subst. *χρίστης* „tector, dealbator“, contra inveniuntur formae cum *σ* et sine *σ* scriptae ante *μ* consonam: perf. pass. *κέχριμαι* et *κέχρισμαι* (utrumque bene traditum), *χρῖσμα* (Thuc., Xen.) et *χρῖμα* (Callim.) „unguentum“; ante *μ* autem *σ* assimilatione absorberi potuisse, *ἱμάτιον*, *χίλιοι*, *εἷμα*, *εἰμί*, *ἡμεῖς*, *ὑμεῖς* alia vocabula demonstrant, qua in re non nullius est momenti, quod verba, quibus radicem sigmaticam inesse constat, in perf. pass. formam et cum *σ* et sine *σ* scriptam praebent (e. gr. *γέγευμαι* et *γέγευσμαι*).

48) *ἀπ-εράω* „effundo“, *ἐξ-εράω* „exspuo, ejicio“, haud scio, an recte a Fickio (K. Z. XXII 375) cum rad. *ras* (sscr. *rasa-* m. „sucus“, *rāsayati* „sapit“) conjuncta sint. Non enim commendatur haec etymologia Arati formis *-ήρασα*, *-ηρᾶθην*, et *ἐξ-ερας-τής* „exspuens“ non ante Eustathium legitur. Quamquam verbi, quod rarioris usus erat, propriae naturae Graecos oblitos esse, quod suspicamur, non prorsus abhorret a verisimilitudine.

49) *βύω* „farcio“. Fut. quidem et aor. act. formantur *βύσω*, *ἔβυσα*, sed semper leguntur *βέβυσμαι*, *ἐβύσθην*, *βύσμα* „obturamentum“, *βυστός*, et cum conferamus verbum *κὔνέω*, cui certo radix *κυσ* subest, cum *βυνέω*, quae usitata

huius verbi forma est, verisimile fit, etiam hoc verbum a radice quadam in σ excidente derivatum esse. Sed certius βυνέω e βυσνεω derivatur, quam βύω e βυσjω; cum enim haec forma non nisi apud posteriores inveniatur, cogitatio novae formationis e fut. et aor (βύσω et ἔβυσα) non omnino abjicienda est.

50) φλύω „redundo, bullo" apud Hom. non usurpatur nisi Φ 361 in tempore imperfecto eoque loco cum brevi vocali (ῠ); praeterea aor. ἔφλυσα occurrit in Anth. Pal. VII 351, apud Archil. 35 (scribitur vulgo -φλοσ-), in Aesch. Prom. 504. Derivata non inveniuntur, neque quae e linguis propinquis allata sunt, rem expediunt. Nam lat. *fluo*, quod post Doederleinium Fickius (II³ 176) attulit, exhibet radicem in vocalem exeuntem; quae autem Joh. Schmidt (vocal. II 270) cognata esse voluit, sscr. *pruš*, *pluš* „ardere", german. *brûsan*, neque inter se nec cum verbo Graeco in primo consonante congruunt. Cum φλύω Herodoteum περιπεφλευσμένος (V 77) cohaerere videtur. (Cf. Grz.⁴ 302.)

51) κρούω „offendo, moveo" (e gr. chordas lyrae). Temporum formae sunt κέκρουμαι et κέκρουσμαι, κέκρουσται, ἐκέκρουστο (κρουστέον est apud Ar. Eccles. 988), κροῦμα et κροῦσμα variant. Facio igitur cum Delbrückio (K. Z. XVI 271), qui palaeosax. *hrorian*, germ. *hruorjan* (hodie *rüren*) comparavit.

52) Radicem *das* „docere" Fick (I³ 103) conclusit inprimis e zend. *dî-dańh-ê* „doceor", got. part. *un-ga-tass* „sine ordine", sscr. *das-ra-* = zd. *dańgra-* „sapiens"; quibus haesitans adjunxit gr. δέδαε „docuit", δάειρα (cognomen Proserpinae), nec Curtius (Grz.⁴ 229) certi quidquam de his verbis dixit, quippe qui et de rad. *dâ* et de rad. *das* cogitaverit. Sed cum formae aor. act. ἔδαον, δέδαεν, aor. pass. ἐδάην e radice *dā* omnino derivari non possint, radicis forma *das* una ad omnes verbi formas explicandas adhiberi potest, quae sunt praeter illas perf. δεδάασι, δεδαώς, plusqu. δεδάει; accedunt perf. δεδάηκα, δεδάημαι ad praes. δασεjω reducenda. Quibus addimus cum Fickio δάειρα ex forma primaria δασ-ερ-ιᾰ natum et adjectiva δαήμων, ἀδαής. Contra radicem *dā*, quam ostendunt zd. *dâo* et *dâmi* „sapientia", *dânu* „sapiens", agnoscimus in Graeco

δήω „inveniam", *τὰ δήνεα* „consilia, machinationes" (quamquam hoc ex *δασ-νεα* natum esse potest). Sed *δαίμων* ex *δασιμων* (cf. sscr. *das-yu* id.) pro certo adjungere non audeo.

53) Verbi *βδέω* „visio" aor. est *ἔβδεσα*; derivatorum unum nomino *βδέσμα*. Quibus cum Curtio (Grz.[4] 229) radicem inesse perto *βδεσ* (cf. lit. bezdéti).

54) *πιέζω*, dor. *πιάζω* „premo" e forma primaria *πισεζω* derivatur a Curtio (vb. I[2] 344 sq.)

55) *καίω* „ardeo, ferveo". Hoc verbum cum Fickio (I[3] 818) ad formam primariam *skus*, *kus*, *kvas* revocari posse censemus. Cui veriloquio *καῦμα* (Hom. *E* 865) „ardor" et perf. *κέκαυμαι* non obstant, quia vidimus (p. 29), *σ* ante *μ* saepe evanescere. Invenitur autem *σ* in Homerico adjectivo *καυστηρός*, in derivatis nonnullis (e. gr. *καυστήρ* Van. p. 98), in perfecto *κέκαυσται* (Hippocr. VII, 242) et, si modo recte scribitur, in *καυστός* (Eur. Cycl. 633); non invenitur in *καυτήρ* (apud Pind. Pyth. I 181) et forma aor. pass. *ἐκαύθην* (apud Hippocr., Pind., Thuc., Herodot). Denique substantivum *καυθμός* „uredo" (morbus quidem arborum) quod apud Theophr. obviam fit, *θμο*-suffixi ope formatum esse potest (cf. *πορ-θμό-ς*, *στα-θμό-ς*, *ἀρ-θμό-ς*, *κινη-θμό-ς* cet. apud L. Meyerum, vergl. gramm. II 369 sqq.)

56) Verborum *τίω* „pendere", *τίνω* „multare" radix est *ki* (sscr. *ci*) „animadvertere". Quibus in verbis magna differentia formationum observatur; habemus enim praeter illa praesentia *τίνυμαι* et *τίννυμαι*, *ἀποτείσει* (tab. Heracl. I 61), *ἐτίσσατο* apud Pind., *τέτισμαι*, *ἐτίσθην* apud Atticos, quemadmodum et radix sscra complures declinationes sequitur (cf. Curtii Verb. I[2] 230). Formis autem Pindari et Atticorum fretus puto Graecos praeter ceteras formationem sigmate auctam adhibuisse, cuius exemplar fortasse in lingua Zendica *ciš*, *cîš* „acquirere, tribuere" obvium est.

57) *φθίω*, *φθίνω* „perdere". Apud Hom. legitur *φθῖσω*, *ἔφθῖσα*, Attici contra inda ab Aeschylo deinceps praebent *ῐ*; jam apud Hom. praesentis temporis vocalis scribitur *ῐ* et *ῑ*, perf. *ἔφθῐμαι*, plusqu. et aor. *ἐφθίμην*. Fortasse igitur forma *φθί-σ-ω* seu *φθί-σj-ω* quondam inveniebatur in lingua Graeca.

58) *σχάω* „scindo, findo". Num ex forma primaria *σχασω* sive *σχασjω* derivandum sit necne, non liquet, quia praeter *σχάω* forma *σχάζω* legitur.

59) *δοῦλος* ex *δοσυ-λο-ς* (Düntzer K. Z. XVI 127) ortum esse conjecturae loco habendum est.

60) *δέω*, *δέομαι* „egeo" Fick (I[3] 108) cum sscr. *das* „egere, (siti, fame) confici" (praes. *dasyati*) conjunxit, cui adstipularer, nisi verbum *δεύω* (quod apud Hom. saepius invenitur quam *δέω*) eandem notionem ac formationem haberet (e. gr. *δεήσω* et *δευήσω*). Fickius quidem verbum *δεύω* a *δέω* sejungendum esse dicit, sed mihi in hac re casui plus justo concedere videtur.

61) *σ* inter vocales excidit ex compluribus formis radicis *ἐσ* (idg. *as* „esse"):

2. sg. ind. praes. att. *εἶ* (ep. ion. *εἶς* ex analogia formae *λέγεις*).

3. pl. ind. praes. *ἔοντι* (Archim. de conoid. p. 281), ion. ep. *ἔασι*.

3. pl. imp. *ἐόντων* (inscr. Dor.)

conj. *ὦ* cet. ex *ἐσω* cet.; boeot. *ἰωνϑι* pro *ἐωντι*; dor. *ἔω*, ion. *ἔω*.

opt. *εἴην* cet. ex *ἐσιην* cet.

part. lesb. *ἔων*, boeot. *ἰών*, dor. *ἐών*, ion. *ἐών*, *ἐοῦσα*, att. contr. *ὤν*, *οὖσα*.

imperf. *ἔα* apud Hom. et Hdt. (*ἦα* *E* 808) in dubium vocatum est. Formas tert. sg. *ἔην*, *ἤην* nova formatione natas esse ducimus.

De forma sec. pers. ind. *εἶ* pauca addo: est enim initio cum *ss* ponenda, quae forma autem fortasse jam in lingua Indogermanorum in formam per simplex *s* scriptam reducta est; quod ad fulciendum affero sscr. *asi* ex **assi*; in hac enim lingua *ss* reduci non in *s*, formae *vacaḥsu* sive *vacassu* e stirpe *vacas-* et suffixo loc. pl. *-su* compositae demonstrant; huic *vacaḥsu* respondet in lingua Graeca *ἔπεσ-σι*. Eandem differentiam videmus in lingua zdca, ubi loc. pl. *vacohva* formatur, contra sec. p. sg. verbi *as* non **ohi*, sed *ahi*. Obstant nostrae sententiae, ex qua reductio spirantis duplicatae ad simplicem in hac forma

jam ante linguas separatas facta est, graec. ἔσσι et slav. *jesi*, quod nisi *s* e *ss* natum esset, immutatum esset in **ješi* (lit. *esì* non necessario ad formam cum *ss* scriptam refertur). Sed hae formae fortasse separatim in linguis separatis e stirpe et suffixo compositae sunt, quemadmodum ἔπεσσι e stirpe ἐπεσ- et suff.-σι, *vacaḥ-su*, *vaco-hva*, slav. *děsi* e **děd-si* cet. Ceterum Wackernagelium (K. Z. XXIII 460) recte εἶ ex ἐσ-εσαι derivare non credo, quoniam eiusmodi forma nusquam non contracta legitur, ne apud Hom. quidem.

Plusquamperfecta in -εα, -εας, quae Curtius (vb. II 235 sqq.) tractavit: ut ᾔδεα, ἀνώγεα, ἐτεθήπεας, et quae inde contracta sunt, ut ᾔδη, ᾐείδης, σ inter vocales emiserunt.

Sequitur ut de σ initiali agamus, quod per augmentum, praefixa, vocales protheticas positionem inter duas vocales nactum est. Qua in re nostrum erit tantum eas formas afferre, quae ipsae aliquod indicium amissae literae praebeant.

Ac primum quidem probabile est σ ejectum esse, ubi addito augmento aut reduplicatione ortum est ει ex ε initiali:

1) εἶπον, εἰπόμην ex ἐσεπον, ἐσεπομην (cf. ἤσθιον ad praesens ἐσθίω).

2) εἷρπον, εἵρπυζον, εἵρπυσα (εἷρψα apud posteriores) ex ἐσερπον cet.

3) εἶχον, εἰχόμην, παρεισχῆσθαι (perf. dor.) ex ἐσεχον cet. Recte e Doride sereriore traditur ἦχον (Ahr. II 202).

4) εἷσα „posui“ ex ἐσεδσα, εἰσάμενος (Hdt. I 66).

† 5) εἴωθα „consuetus sum“, εἰώθειν ex σεσϝωθα, ἐσεσϝωθειν (in hac forma sigmatis elisio bis facta est).

† 6) εἴθιζον (ἤθιζον quoque scribitur), εἴθισα, εἴθικα, εἴθισμαι, εἰθίσθην ex ἐσϝεθιζον cet.

7) εἱστήκειν ex ἐσεστηκειν.

Deinde σ inter vocales extritum est, ubi tempora praeterita cum augmento syllabico formantur:

† 8) ἑάνδανον (ἑήνδανον Hom. Ω 25), ἕαδα, ἕαδον (εὔαδον Hom. Ξ 340 alias) ex ἐσϝανδανον cet.

9) ἑέσσατο ex ἐσεδσατο.

10) ἑερμένος (Hom. σ 296), ἕερτο (ο 460), ἥειρε (*K* 499) ex ἑσερμενος cet.

Causa eadem est, ubi, quod dicitur ἀ- privativum, pro ἀν- ante vocabula invenitur, quorum prima litera vocalis esse videtur; σ excidit ex his vocibus:

11) ἄατος (Hes. theog. 814) ex ἄσατος; quod vocabulum de radice *av* deducere, propter hoc ipsum ἀ- non licet (cf. L. Meyer, K. Z. XXII 469 sq.)

† 12) ἀ-έδνωτος „a nullo marito donata, non sponsa" e rad. σϜαδ derivatum esse videtur (cf. Grz.[4] 228).

13) ἄϋπνος ex ἀσϝαπνος.

Ad haec praeterea compluria verba nominaque adjiciuntur, quae vel praefixis*) vel reduplicatione vel compositione formata sunt. Qua in re tamen cavendum est, ne formis vetustatem adscribamus, quae posterioribus temporibus natae esse possunt; sic

Ἀντί-οχος, Ἀστύ-οχος, γαιή-οχος cet. ex Ἀντι-σοχο-ς cet. orta esse possunt, sed cum Θρασυ-άλκης vocales juxta positas praebeat, ubi nulla spirans exciderit, Ἀστύ-οχος e. gr. etiam ex stirpe ἀστυ- et substantivo ὄχος potest formatum esse.

14) ἄοζος „victimarius" vocabulo fortasse forma primaria erat ἀ-σοδ-jο-ς (Van. 1013 sq.)

15) ἄορ ex ἀσϜορ (Grz.[4] 356) dubium est; Fick enim (I[3] 212) comparat germ. *warî*.

16) ἀοσσητήρ G. Curtius (Grz.[4] 454) optime e forma ἀ-σοκjη-τηρ derivavit, ita ut radix sit σοκ „sequi"; apud Hesychium inveniuntur praeterea ἑοσσητήρ et ὀσσητήρ; Moschos (IV 110) praebet verbum ἀοσσέω.

De ὄαρ cf. p. 8; quae Vaničekius praeterea attulit (p. 1225 sq.), non probabiliora sunt (cf. Fick II[3] 246 ἀορτήρ, ἀορτή, μετέωρος cet).

17) Denique secundum L. Meyerum (Bezzenbergers beitr. I 310) ἵημι ex σισημι natum putandum est, cf. autem Grz.[4] 403.

---

*) Formae cum ἀ- prosthetico omittendae sunt, quia in iis vocalis non ante emissionem spirantis, sed una cum hac orta esse videtur.

(Soph., Herod.), σειστός (Ar.) σ praebent[*]). Inter derivata voci σεισμός „terrae tremor" summa fides est (Soph., Ar.), cetera vd. apud Van. p. 1050, qui ponit σϝε radicem secundum Curtii (Grz.[4] 375) conjecturam e rad. *su* propagatam. Sed mihi Froehdii (K. Z. XXII 263) etymologia probabilior videtur, quippe qua et σσ in ἐσσεισάμην, ἐπισσείω et σ in σέσεισμαι cet. planum fiat. Putat enim σείω idem esse ac sscr. *tvešāmi*, cuius notionem propriam fuisse censemus „moveri, agitari." Nam significationem splendendi seu nitendi, quam radix *tviš* posterioribus temporibus apud Indos exhibet, si cum hac comparamus Vedicum *tveša-* „violentus, vehemens", ex illa notione vehementis motus derivemus necesse est, cum notio violenti non ex notione splendendi effici possit. Nullam difficultatem habet, quod vocalis aucta etiam in temporibus praeter praes. et imperf. invenitur, cuius formationis similia permulta praesto sunt, e. g. πέπλευσμαι a rad. πλυ, νένευκα a rad. νυ, πέφευγα, πεφεύγαμεν a rad. φυγ cet. Quod denique Froehde σ=σϝ ex idg. *tv* natum existimat, analogiae l. l. collatae sunt: σέ pro *tva* (dor. τέ), σάκος „scutum" comparandum cum sscro *tvacas* n. „corium, tegmen", σύρβη (seu τύρβη) „tumultus" componendum cum lat. *turba* (a rad. *tvar*). Quibus ipse addere possum, quod suffixo sscro *-tvana-* aqud Graecos respondet -συνο- (cf. Bopp vergl. gramm. III 263) et quod in τέσσαρες, ion. τέσσερες, Hom. πίσυρες, aeol. πέσσυρες σσ (σ) ex *tv* natum est (cf. infra).

35) ἀκούω. Huic verbo par esse judicavit Delbrück (K. Z. XVI 271) got. *hausjan*. Allii (Kuhn, Ebel, Pott, Curtius) verbum cum rad. *skav* conjunxerunt, quae est in got. *us-skav-jan* „cautum esse" et in gr. θυο-σκό-ο-ς pro -σκο-ϝος. Hi viri docti ad suam sententiam eo adducti esse videntur, quod κοᾷ (ἀκούει Hesychius), θυοσκόος, κοννέω, κοέω, ἀκούω, omnia quae Van. p. 1110 sq. contulit, ad unam formam primariam referenda esse censebant. Cum

[*]) Perf. act. forma σέσεικα, quae obsistere videtur, nihil tamen ad rem affert, cum perf. act., etiamsi praesenti σ inhaesisse constet, semper asigmatum formetur (cf. τετέλεκα, ἔσπακα cet.). Qua de causa in his quaestionibus perfectum semper missum faciemus.

tamen formae temporum et derivatorum, quae σ literam habere debent, eam omnes habeant — affero ἀκουσθείς (Thuc. III 38), ἀκουστός (Plat.), ἄκουσμα (Soph. et Plat.) — verisimile videtur, formas, quae ab α incipiunt, ab alteris sejungendas et cum got. *hausjan* conjungendas esse, cui forma supponenda κουσjω optime respondet. Quae etymologia non infirmatur ἀ- praefixo, ad quod explicandum complures exstant rationes, quas singillatim proponi hoc loco non est necessarium (cf. Grz.[4] 709 sqq.). Atque propter ἀ- perf. act. quoque radici κουσ subjungam (ἀκ-ηκουσ-α, ἀκ-ηκου-α, ἀκήκοα). Contra forma Hesychii κοᾷ fortasse alteri radici adscribenda est.

Kraushaarii (stud. II 429) explicatio verbi ἐάω εἰάω (lac. syrac. ἐβάω) ex ἐσϝαjω, quantum video, adhuc laudatorem non invenit.

36) θλάω „comprimo" (Leskien l. l. p. 90). Forma φλάω, quae saepe apud Dores obvenit, non tamen deest Ionibus, plerumque eandem temporum formationem praebet. Praesentis forma φλάσσω legitur apud medicos posterioris aetatis. Cum Leskienio igitur formam θλασ (et φλασ) proponimus, nam θλαδίας „eunuchus" nullius momenti est. Ad radicis formam autem Indogermanicam inveniendam fortasse licet sscr. *gharš* „terere" (a rad. *harš* jam propter significationem sejungendum) comparare, praesertim cum ved. *ghṛšu* notionem ad verbum θλάω aptissimam „zermalmer" habeat; de *gh* consona, Graeco θ respondente, cf. θέρος cum rad. sscra *ghar* (Grz.[4] 485).

37) κλάω „frango" a Leskienio (l. l. p. 91) in formam primariam κλασjω reducitur. Sed cum κλάω inprimis de surculis dicatur et surculi ipsius nomen sit ὁ κλάδος, nos σ temporum ex assimilatione mediae dentalis natum esse credimus, ita ut praesentis forma primitiva sit κλαjω, futuri κλαδσjω cet. Qua cum conjectura aliae formationes voci κλάδος similes congruunt. Cf. Van. p. 128.

38) Verbum ξέω „scabo, polio" non separatum a ξύω „polio" tractari potest, quia similitudine formationis et notionis propinquitas indicatur; ideoque Leskien (p. 91) posuit duas radices literarum parva variatione variationem

parvam notionis ostendentes: ξεσ et ξυσ. Ex nostra autem sententia ξόος „radere“ (Hesychius explicat vocabulis ξυσμός, ὀλκός), ξοίς „instrumentum ad sculpendum“, ξόανον „omne sculptum“, ξύλον „materia“ (raro „silva“ i. e. vernacula „lebendiges holz“) et verba ξύω et ξέω ad radicem ξύ et eius formas auctas ξευ, ξου revocanda sunt, qua de re eo minus dubitamus, quod ξύω et ἔξυσα fere semper cum ῡ scribuntur (cf. ξῦον apud Hom. χ 456, ἔξῦσα Ξ 179), nam cum Leskienio formam radicis ξῡσ ponere, non sine periculo est (verba enim omnia, quae Leskien l. l. attulit neque in praesenti tempore neque in aoristo longam vocalem praebent). Fortasse igitur verbum ξύω de forma *skujāmi* descendit (cf. apud Hom. λῑω et λύω) et litera σ, ubi obvenit, ex τ est nata quod ut credamus, adducimur analogia verbi Lituanici *skutù*, *skùsti*, cuius notio est „vadere“, ξέω vero aut, ut supra diximus, ex forma ξευω natum est, in cuius tempora, postquam ϝ seu υ evanuit, σ ex analogia formarum verbi ξύτω illatum sit, aut omnino sejungendum et radici ξεσ- i. e. *skas* attribuendum est. Cf. Van. p. 1117.

39) πτύω „spuo“. A Leskienio (p. 93) stirps πτυς recte posita videtur; cf. Van. p. 1197. Cum linguae propinquae nulla vestigia σ consonae praebeant (lat. *spuo*, lit. *spiáuju*, slav. *pljują*, got. *speiva*) et cum πτύω in temp. praes. et imperf. plerumque per ῡ scribatur, praesens quidem ad forman πτυjω revoco (cf. quae sub verbo ξέω de forma ξῦω diximus), cetera tempora e stirpe aucta formata esse puto. (Ex verbo πῡτίζω „saepe spuo“ stirpem per dentalem propagatam concludere non satis cautum est, quia ex analogia verborum ἐρατίζειν „cupere“, ἀκοντίζειν „jaculari“, κτεατίζειν „acquirere“, λακτίζειν „calce trudere“, πειρητίζειν „probare, explorare“ al. formatum esse potest.)

40) σπάω „extendo, traho, scindo“. (Cf. Leskien p. 90.) Nos cum dor. σπάδιον (idem ac στάδιον), σπαδών „ramus descissus“ (Hippocr.), σπᾶδιξ (id.), σπαδίζω (fut. σπαδίξω) „pellem detraho“ (Hdt. V 25) nec non linguae propinquae dentalem explosivam exhibeant (cf. lat. *spatium* Fick II³ 278), non incredibile esse ducimus, hic eundem metaplasmum

agnoscendum esse, quem nos in verbo *κλάω* evicisse speramus. Van. p. 1163 sqq.

41) *μαίομαι* „quaero" saepius cum praepositionibus (*ἐπι-μαίομαι* „tango, tento" cet.) usurpatur. Iam Curtius (vl. I² 298) Leskienio (p. 88) assensus est qui hoc verbum a radice *mas* derivat; et fertur radix *mas* in Dâthupâṭho Sanscrito. Fortasse etiam perf. *μέμαα* et praes. *μῶμαι* (fut. *μάσομαι* aor. *ἐμασάμην*) σ amiserunt. E cognata radice verba *ματεύω*, *μαστεύω*, *ματέω* „perscrutor, nitor" oriunda esse videntur. Van. p. 666 sq.

42) *ναίω* „habito" a *νασjω* derivatur (cf. Lesk. p. 87). Quocum cognata sunt nomina *ναιέτης*, *ναέτης*, *ναέτηρ*. Huc *νέομαι* quoque pertinet, quod artius cohaeret cum subst. *νόστος* (cf. Curtius, Leipzgr Stud. I 152), quae etymologia formis dialecticis: ion. *ὑπο-νησαμένη* (Hippocr. IX, 190), dor. *νησοῦντι* (Sophr. fr. 19). utraque non sine dubio recepta, labefactari non potest.

43) Radicem verbi *μύειν* „coire" (de labiis et oculis dicitur) propter longam vocalem et formas nonnullas linguarum propinquarum (lat. *mūtus*, sscr. *mûta-* „ligatus" a rad. *mu* et *mûka-* „mutus") nec non Graecas (*μυκός*, *μύτης*, *μύττης*, *μυττός*) et per dentalem et per gutturalem propagatam esse censemus et alteri radici quidem perf. *μέμῡκα* (cf. sscr. *mûka-*), alteri reliqua tempora praeter praes. et imperf. esse assignanda.

44) *ζούσθω· ζωννύσθω* Hesychii glossa a Curtio (Grz.⁴ 611) in formam primariam *ζοσεσθω* reducitur. Sed cum linguae cognatae: zd. *yâoṅh*, *yâh* „cingere, induere", lit. *jŭsti* id., slav. *po-jas-ŭ* „cingulum", et Graecum *ζώννυμι* ipsum radicem *yâs* indicent, fortasse ex forma *ζουσεσθω* explicandum est. Ponimus igitur dialectum, ex qua Hesychius hanc formam descripsit, vocalem ω obscuriorem, i. e. pro *ζωσεσθω* pronuntiasse *ζουσεσθω*.

45) *θραύω* „frango, flecto" conjungitur a Fickio (I³ 121) cum got. *driusan* „cadere"; praesentis formam igitur pono *θραυσjω*, qua omnes formae huius stirpis explicantur (*ἐθραύσθην* apud Sophocl. al., *θραυσμός*, *θραυστός*, *θραῦσμα* et *θραῦμα*).

ad praesens ἐλάω ex ἐλασjω referenda sunt; cf. Leskien. p. 117 sq.

5) ἰλάομαι „medeor". De formatione temporum sigmatica huius verbi jam Leskien egit (stud. II 113). Van. 89.

6) κεράω, κεραίω est formatio altera verbi κεράννυμι, quae jam apud Hom. legitur (I 203), forma primaria κερασjω ex temporibus concluditur (cf. Lesk. stud. II 112). Unde derivatum est ἀ-κέραιος, „immixtus" (cf. ἀ-κέρας-τος).

7) Infinitivus — futuri, si notionem quaerimus, si formam, praesentis — περάαν ad formam primariam περασ-jεν referendus videtur (cf. Lesk. stud. II 113).

8) χαλάω „remitto"; hoc verbum apud Homerum nusquam legitur. Ex temporibus omnibus forma primaria praesentis concluditur χαλασjω. In adjectivo χαλαρός deinde σ neglectum est ut saepius in fomationibus, quae his verbis subjungendae sunt.

Compluria verba, quae σ in nonnullis aut omnibus formationibus praebent, praesens illud, ex quo σ excidisse putemus, aut amiserunt aut nunquam habuerunt (cf. Leskien l. l.). Sed inter haec verba non numerandum esse putavi ἀλάομαι, quod denominativum vocis ἄλη videtur esse et cuius tempora σ non ostendunt, e. c. aor. pass. ἠλήθην; si quidem cum Düntzero (K. Z. XII 12) ἀλάστωρ cum hoc verbo conjungere velimus, res in dubium vocetur. Sed cum ἀλάστωρ ab ἄλαστος, ἀλαστέω vix sejungi possit, veriloquium, quod nuper Vaniček p. 788 repetivit (a radice λαϑ „oblivisci" deducendum), rectum videtur; ἄλαστον enim est id, quod oblivisci non possumus i. e. ingens (imprimis de malis e. gr. πένθος Ω 105); deinde is, qui ἄλαστόν τι confecit, ἄλαστος i. e. nefarius dicitur (X 261); sic ἀλάστωρ eum indicat, qui non oblivisci potest, i. e. aut ille, qui nefaria commisit et ob eam rem more Graecorum in exilium proficiscitur (cf. schol. ad Eur. Hec. 675), aut deus, qui, ἀλαστέων i. e. iratus, indignatus (ἀλαστέω notione indignandi Hom. M 163, de diis O 21) nefarium persequitur. Non ignoro difficultatem esse in formatione verbi ἀλάστωρ, cum suffixum -τορ- non nisi stirpibus vocalibus affigi videatur (cf. L. Meyer vergl. gramm. II 340 sq.),

et si conjici licet, putarim eadem ratione, qua Fickius (K. Z. XXII 99) *κέντωρ* ex *κεντητωρ* natum esse censet, *ἀλάστωρ* ex *ἀλαστητωρ* (ad verbum *ἀλαστέω* applicatum, quemadmodum *κοσμήτωρ* ad *κοσμέω*) ortum esse.

Nolumus omittere conjecturam virorum doctorum qui censent, compositorum illorum, quorum pars prior in *-αι* excidit (Curtius stud. III 192, G. Meyer stud. VI 384, Clemm stud. VII 50), nonnulla fortasse stirpem in *-asi* continere, cuius exempla Lindner (altind. nominalbildg. p. 52) affert. Sic v. e. *ταλαι-* fortasse ex *ταλασι-* natum „patientem" significavit, ut *ταλαίφρων* sit compositum ex genere „bahuvrīhi", quod Indi appellant, et verti possit „animum patientem gerens". Deinde non decernere audeo, utrum voces illas a G. Meyero (stud. V 96) allatas: *κεραξόος*, *σελαηφόρος* cet. ad formas primarias reducere liceat, quae *σ* inter vocales habuerint, an haec composita posteriore tempore nata sint, ubi sigmatis elisio jam perfecta erat.

Formas, quae dicuntur futura, in hoc loco collocandas, ut *ἐλῶ* al., postea cum ceteris futuris tractabimus.

2. STIRPES IN *-ΕΣ* CADENTES.

Sunt substantiva neutr. gen. in *-ος* et adject. in *-ης*, *-ες*, quae in omnibus casibus praeter nom. sg. et dat. pl. *σ* amiserunt: *ψεύδους* ex *ψευδεσος*, *σαφῆ* ex *σαφεσα* cet. Illa, nisi fallor, omnia collegit Lobeckius in *ῥηματικῷ* (p. 289 sqq.). Adj. in *-ης*, *-ες* nonnulla simplicia, innumerabilia fere composita inveniuntur (cf. Fick, Bezzenb. beitr. I 233 ff.). Accedunt at haec vocabula *χέρης* (Brugman, K. Z. XXIV 31; cf. praeterea Vanič. pp. 47 et 250) et comparativa *ἀρείων* (cf. *τὸ ἄρος* „utilitas" apud Aesch. Suppl. 851 Herm., vulgo 889), *χερείων* ex *ἀρες-ιων*, *χερεσ-ιων*; praeterea inter has stirpes numeranda sunt nomina propria Persica *Ἀρταγέρσης*, *Ἀρταφέρνης* et nomen *Ἀρής*. Brugmanus quidem (l. l.) scrupulos habuit de formis Aeolicis *Ἀρεύς*, gen. *Ἄρευος* cet. (Ahr. d. Aeol. 121), quorum ex numero accusativus *Ἄρευα* legitur apud Corinnam. Cum quibus congruunt formae Homericae *Ἄρηος*, *Ἄρηι*, *Ἄρηα* (ut *βασιλῆος* cet.) et genitivus Atticorum *Ἄρεως*. Contra est, quod nos im-

pediat, quominus stirpem in -ευ ponamus: Dores enim dicunt Ἄρεος, Ἄρει, Ἄρεα, sed βασιλῆ contractis syllabis (cf. Ahr. d. Dor. 237); Attici alii saepenumero, alii semper — praecipue poetae — habent Ἄρεος pro Ἄρεως, nunquam βασιλέος; accusativi formam usurpant Ἄρη et Ἄρην — Ἄρεα semel in Sophoclis carmine chorico invenitur —, sed βασιλῆ non nisi rarissime, βασιλῆν nunquam apud poetas Atticos occurrit; apud Herodotum stirpium in-εσ aeque ac stirpium in-ευ cadentium sunt formae in-εος, -εϊ, -εα exeuntes, sed bis invenitur Ἄρηι; denique nec formae Aeolicae Boeoticaeque paradigmata verborum in-ευς accurate sequuntur, quae sunt:

	Lesb	Boet.
n.	-ευς	(-εύς)
a.	-ηα	-εῖα
g.	-ηος	-εῖος
d.		-εῖι,

quin etiam grammatici in utraque dialecto gen. Ἄρεος sive Ἄριος in usu fuisse tradunt, qui respondet genitivo stirpium in εσ *). Formae dialectorum omnes, ni fallor, id unum evidenter demonstrant, hoc verbum, ut erat unicum sui generis, suis legibus usum esse. Omnia autem expediuntur, si ponimus, primo Ἄρης, Ἄρεος cet. ut ψευδής cet. flexum esse, quod vocativo Ἄρες satis firmari videtur (et leguntur hae formae apud Dores et alibi); praeterea neque in accentu formae vocaculi Ἄρης cum declinatione stirpium in -εύς congruunt. Tum autem in dialectis quidem Ionicis et Aeolicis praeter hanc formationem alteram in usum venisse, e nominativo potius quam e stirpe propria propagatam: Ἄρηος Ἄρηϊ, Ἄρηα (quemadmodum apud Hom. χέρηϊ, χέρηα), quod jam Brugmanus voluit (cf. etiam adjectiva Ἄρειος et Ἀρήιος); hanc formationem reperimus apud Homerum, interdumque

---

*) cf. Beermann, de dial. Boeot. stud. IX 72. Quod autem ille putat, σ per productionem suppletoriam evanuisse (p. 44), formas igitur in -ηος, -ειος esse vetustiores (p. 72), nos improbemus necesse est propter inscriptionum testimonium et quia sigmatis inter vocales positi per productionem suppletoriam elisi nulla vestigia adsunt praeter unum τεμένηος (l. l. p. 44).

apud Herodotum, et Homerico Ἄρηος respondet ex regula Atticum Ἄρεως; in dialectis vero Aeolicis haec declinatio plane eadem est ac stirpium in -εν (vide supra; Boeoti postea η in ει mutaverunt); quid mirum, quod nominativus in -ευς his casibus additus est, cum nomina quidem in -ευς, neque vero nomina in -ης personas indicaverint? Sed differentia apud Boeotos quidem eo existere potuit, quod nomina in -ευς omnia oxytona, Ἄρευς solum barytonon fuit, quam ob rem ad Ἄρευς a Boeotis singulari modo Ἄρευος, Ἄρευϊ, Ἄρευα formatum esse puto, nam apud Corinnam (fragm. 11) solam forma Ἄρευα certo legitur, aliae formae et apud Choeroboscum (qui alias Ἄρεος, Ἄρεϊ, Ἄρεα scribit) quasi Aeolicae et in Anecdotis Oxon. sine dialecti nomine traditae sunt et forma Ἀρευΐοι, quae in Alcaei fragmento 23. legitur, non sine dubitatione recipitur, cum varietas lectionis non desit.

Vox eiusdem generis fuit fortasse *ἀτρης = ἄτρεστος, cf. Anthol. Palat. Append. 50 οὐκ ἀτρῆες ἀνάγκαι Μοιρέων, et eodem modo postea ἀτρεύς = ἄτρεστος natum est.

Derivatorum, quae praeterea ad stirpes in -εσ spectant, primo nomina nonnulla afferam:

adv. ἀεί (Boeot. ἡί) locativus stirpis αἰες sive αἰϝες videtur esse, quod etiam digammo in inscriptione C. J. 1 et formis Doricis αἰές, ἀές, qui accusativi neutr. sg. sunt, demonstratur.

Huic generi nominum saepius et nuper a Zacherio (l. l. p. 127) Βορέας, βόρειος cet. inserta sunt, cum Joh. Schmidt (voc. II 224). formas βορέας, βορρᾶς quidem ex βορjας derivandas esse censeat. Sed forma Βορειάς hoc modo explicari non potest.

ϑέειον „sulphur“ fortasse suffixi -ιο ope a stirpe ϑεϝεσ-derivatum est, quam praebet vox ϑύος „thus“.

αἰπήεις „praeruptus“ nobis cum Leskienio (l. l. p. 99) ad αἶπος revocandum videtur, quod cum vocabulo αἰπύς conjungendum est, ut ϑράσος cum ϑρασύς, βάρος cum βαρύς cet. Forma primaria fuit αἰπεσ-ϝεντ-; sed cf. L. Meyeri vergl. gramm. II 602. Eodem modo videntur nata esse: ϑυήεις (τὸ ϑύος), fortasse κοτήεις (nam ex aor. ἐκότεσα

jam Leskien stud. II 100 nomen *τὸ κότος* conclusit fuisse), *τελήεις* (*τέλος*)*), *ἑλκήεις* (*ἕλκος*), *ἐρευθήεις* (*ἔρευθος*), *κυδήεις* (*κῦδος*), *ὑψήεις* (*ὕψος*); *πιήεις* (cf. sscr. *pîvasvant.*). *Θυόεις*, *χρυόεις* non ex *θυοσ-Ϝεντ-ς*, *χρυοσ-Ϝεντ-ς* fieri potuerunt, cum stirps in adjectivi formatione adhibenda non *θυοσ-* esset, sed *θυεσ-*.

μενεαίνω „concupisco, irascor" cum Vanič. p. 661 ex *μενες-αινω* sive *-ανjω* natum esse puto, ut suffixum ab aliis formationibus cogitatione sejunctum (cf. *θυμ-αίνω*) stirpi irregulari quadam ratione affixum sit; L. Meyer contra (vergl. gramm. II 73) *μενεϜαν* conclusione posuit.

Iam ad verba in *-ειω*, *-εω* accedamus.

1) *αἰδέομαι* jam Leskien p. 94 ex forma *αἰδεσ-jομαι* repetivit; tempora addo *ᾔδεσμαι*, *ᾐδέσθην*, *αἰδεστός* (Plut.). Repugnat solum *αἰδήσιμος* (Orph. Arg. 1346), quod ad nomen quoddam *αἴδησις* spectat, sed *αἴδεσις* tantum est traditum.

2) Dubium videtur *αἰνέω* „laudo"; fut. *αἰνέσω*, sed ap. Hom. *π* 300, Piud. Nem. I 72 *αἰνήσω*; aor. *ᾔνεσα*, sed ap. Hom. *Ψ* 552, *Ω* 30, Pind. Ol. X 100, Pyth. III 13 *ᾔνησα*. perf. *ᾔνεκα* (Isocr. XII 207), perf. pass. *ᾔνημαι*, aor. pass. *ᾐνέθην* (Hdt.), *ἐπαινετέον* (Pl. Resp. 390), *αἰνητός* (Pind. Nem. VIII 39); apud. Aeoles praeterea obvenit *αἴνημι*. Praeterea nomen legitur *ὁ αἶνος*.

3) *ἀκέομαι*, *ἀκείομαι* (Hom., Piud.) denominativum est vocis *τὸ ἄκος* (Lesk. p. 94); cuius formas affero *ἠκέσθην*, *ἀκεστός*, *ἄκεσμα*, *ἀκεστήρ*, *ἀκεστής*. Van. 753. Cf. Curtius (vb. II 270).

4) De verbo *ἀλέω* „molo" Leskien p. 103 exposuit. Stirpis forma *ἀλεσ* probatur formis *ἄλεσσαν* (*υ* 109), *ἀλήλεσμαι* (rarius *ἀλήλεμαι*) et (apud posteriores) *ἤλεσμαι*, *ἠλέσθην*, *ἀλεστέον*.

5) *ἀρκέω* „sufficio" est denominativum vocis *τὸ ἄρκος* „remedium" (cf. Lesk. p. 103). Tempora praeter fut. et aor. sunt *ἠρκέσθην*, *ἀρκεσθείς*, apud Stobaeum *ἤρκεσται*.

6) Verbum *ἐμέω* „spuo" cum Leskienio (p. 104) e stirpe *ἐμεσ* derivamus.

---

*) Apud Tyrtaeum (fragm. 4 Bergk) legitur *τελέεντα*.

7) καλέω secundum Leskien (p. 106) denominativum est vocis *καλος n., quod confirmatur composito καλεσσίχορος (Orph. lith.).

8) κοτέω „irascor"; cf. Leskienium (p. 98). Qui (p. 100) part. perf. sec. κεκοτήοτι quoque ex κεκοτεσ-ϝοτι explicavit.

9) λούω „lavo" cum Leskienio (p. 104) ad formam primariam λοϝεσjω revocamus. Addimus nomen λούστης „is qui libenter lavatur" (Aristot.).

10) μαχειόμενος (Hom. ρ 471) Leskienio (p. 95) ad praesens μαχεσjομαι reducendum visum est.

11) νεικέω, νεικείω „discepto" est denominativum vocis τὸ νεῖκος (Lesk. p. 94). Affero praeterea νεικεστήρ (Hesiod.).

12) οἰνοβαρείω }
13) ὀκνείω } cf. Leskienium (p. 95).

14) ὀλιγοδρανέω „infirmus sum" (apud Hom. nulla forma legitur nisi praesens), ἀδρανέω „cesso" ad stirpem δρανεσ- spectant, quae adjectivi loco in ἀ-δρανής (derivatum ἀδράνεια) et substantivi loco in δρᾶνος· ἔργον, πρᾶξις, ὄργανον, ἄγαλμα tradita est.

15) ποθέω „cupio" non satis perspicuum est. Sed cum Leskienio (p. 101) conjicimus, praeter masc. πόθος quondam neutr. *ποθος, -ους exstitisse, cui plures formae verbi ποθέω adscribendae sint.

16) Difficilius fere de verbo στερέω agitur; sed huic quoque Leskienius (p. 106) nomen *στερος n. supposuit propter aor. ep. ἐστέρεσα.

17) τελέω, τελείω „ad finem perduco" est denominativum vocis τό τέλος (Lesk. p. 94).

18) δράω; ἐδράσθην δραστέον; δέδραμαι saepius quam δέδρασμαι; ἔδρᾶσα (Anthol. VIII 192); δράστης, δρήστης, δρηστοσύνη cet. (cf. Grz.[4] 237). Fick (I[3] 106) comparat sscr. dravasya- „laboriosum esse" (?)*), quod nobis fidem facit; spirantibus enim elisis praes. δραϝασjω fit δρᾶω, fut. δραϝασσjω δρᾶσω. Mirum quidem videri potest, quod nulla forma praesentis ut δρᾶιω, nulla futuri ut δρᾶσσω invenitur, sed

---

*) Apud BR legitur: „dravasyati sich abquälen; um jemand herum sein, aufwarten. Vielleicht von 1 dru."

verbum fere non legitur nisi apud Atticos, qui et *κλάω* „ploro" *ι* abjecto et *τρέσω*, *ἔτρεσα* (non cum *σσ*) dicunt; apud Iones semel (Hippocr. III 290) legitur *δρῆν*.

Praeterea Leskienium (p. 101) sequens duo adjectiva: *πετεηνός*, *ἀμενηνός* cum sscris ut *sahas-âna-* conjungenda per sigmatis elisionem nata esse puto.

3. STIRPES IN *-ΙΣ* CADENTES.

Has statuere audacis esse videtur, cum in linguis propinquis raro obviam sint*), nedum inveniantur in lingua Graeca. Sed formis superlativorum ut *μέγ-ισ-τος* cet. suffixum *-ισ* conjunctum cum signo superlativi *-το-* inest (cf. Schleicher comp.[3] 472). Praeterea quo jure Fick (II[3] 28) verbum *αἰσθάνομαι* ex *ἀϝισ* + √*dha* compositum esse censuit, eodem nos in eandem stirpem *ἀϝισ* verbum *ἀΐω* „sentio" reducimus ex *ἀϝισjω* natum. Quae nostra sententia confirmatur forma Herodotea *ἐπ-άϊστος* (II 119); praeterea fortasse recte apud Hes. (Opp. 213) et apud Aesch. (Eum. 844, 877) *ἄϊε* legitur, cuius *ι* sigmate eliso per contractionem duorum *ιι* explanari potest. Aor. *ἤισα* Apoll. Rhod. I 1023, II 195 cum *ῑ* legitur. Nullo modo repugnat forma Hesychiana *ἄετε· ἀκούετε*, cuius formam primariam putamus fuisse *ἀϝ-ετε*.

Nec certius quidquam de verbo *κλείω* contendere possumus, cuius formae omnes (praeter perf. act. et pass.) in omnibus dialectis *σ* habent, ita ut credamus fortasse stirpem *κλᾱϝισ-* exstitisse, quamquam lingua latina stirpem *clavi-*, Graeca stirpem in dentalem explosivam excidentem praebet: att. *κλείς*, *κλειδός*, ion. *κληίς*, *κληῖδος*, dor. *κλαΐς*, *κλαῗδος*.

Formae *κεκύλισμαι*, *ἐκυλίσθην*, *κυλιστός*, quae verbo *κυλίω* adscribuntur, explanantur forma praesentis *κυλίνδω* „volvo", quae apud vetustiores obvenit.

---

*) Exceptis enim nonnullis in lingua sscr. *arcis* n. f., *çocis* n. (cf. Benfey, vollst. gramm. § 396 no CVII) et rarissimis in lingua lat. *cinis*, *pulvis*, linguis Indogermanicis eiusmodi stirpes desunt.

4. STIRPES IN -ΟΣ CADENTES.

De hac omni re egit Brugmanus K. Z. XXIV, inprimis pp. 21 sqq. et 28 sqq. Stirps sigmatica sine dubio est ἠώς, quae linguis comparatis satis confirmatur. Declinatio nativa conspicitur in formis Homericis ἠοῖ, ἠοῦς, ἠῶ, Pindaricis Ἀόος, ἀῶ, Atticorum acc. ἕω. Unde descendit adj. ἠοῖος (Hom. δ 447), cuius forma Attica est ἑῷος; σ denique ipsum scribitur in composito ἑως-φόρος (Hom. Ψ 226), apud Pind. ἀωςφόρος (Isthm. IV 40). Sed paullo rariores eae formae sunt, in quibus hoc verbum quasi a recta via deflexum videtur: apud Hom. inveniuntur ἠῶθεν (e. c. Η 372), ἠῶθι (Λ 50), quibus respondent Atticorum ἕωθεν et derivatum ἑωθινός; quin etiam apud Atticos omnis formatio in declinationem Atticam secundam, quae dicitur, abiit praeter accusativum, qui semper ἕω scribitur (multo posterius legitur ἠοῦν). Deinde affero vocem αἰδώς, cuius flexui regulari formae heteroclitae non sunt immistae (αἰδοῦς, αἰδοῖ, αἰδῶ); derivatum est αἰδοῖος.

Inter cetera verba, quae Brugman l. l. huic declinationi subjungere vult, maxima probabiltas est voci γέλως. Apud Hom. invenitur dat. γέλῳ (σ 100), acc. γέλω (υ 8. 346), ab Atticis flectitur: γέλωτος, γέλωτι, γέλωτα, sed etiam γέλων, derivatum est γελοῖος, cuius forma Homerica obvenit (Β 215) γελοίιος; σ igitur indicatur accusativo Hom. γέλω, adj. γελοῖος, verbo γελάω (vd. supra p. 23); denique, ni fallor, haec toto formatio versicolor nullo modo melius explicatur, quam si credimus, stirpem sigmaticam nostra lege phonetica, de qua hanc commentationem scribimus, obscuratam atque oblivioni quasi traditam esse, ut loquentes perspicuitatem appeterent; ad stirpes igitur in τ desinentes hoc vocabulum posteriore tempore transiisse jam eo ostenditur, quod in linguis propinquis non obvenit (cf. Brugm. p. 29).

Accedunt vocabula χρώς et ἱδρώς, quorum formae per τ fictae apud Homerum nullae inveniuntur nisi hae: χρωτός Κ 575, χρῶτα σ 172 (= 179), contra saepissime χροός, χροΐ, χρόα; apud Pindarum semel χροΐ (Nem. VIII 53), semel χρωτί (Pyth. I 105), semel χρῶτα (Isthm. III 59) inveniuntur, Attici semper formas τ ope formatas habent,

sed tamen in conjunctione ἐν χρῷ altera formatio in usu est. Verbi ἱδρώς apud Hom. inveniuntur dativus ἱδρῷ (*P* 385. 745), acc. ἱδρῶ (*K* 572. 574 saepius). Verisimile igitur fit, formas χροΐ, *ἱδρόι (liceat dativum exempli loco habere) primas fuisse, tum eas in χρῷ, ἱδρῷ mutatas esse, denique χρωτί, ἱδρῶτι in usum venisse; casus χροός, χροΐ, χρόα autem per spirantis cuiusdam (ϝ aut σ) elisionem natos esse manifestum est. Si autem illa excidisset, ego non intellego, cur accusativus non sit *χροῦν, ut βοῦν genitivo, dativo βοός, βοΐ respondet, nec scio, quae forma nominativi primitiva fuerit cum e χροϝ-ς exspectandum sit χρους, ut βοῦς e βοϝ-ς, denique ad nominativum χρωϝ-ς accusativus χρωϝ-α (sive χρωϝ-ν, nam de formatione huius casus dubitari potest cf. βασιλῆα ex βασιλεϝα, νῆα ex νᾶϝα, sed βοῦν ex βοϝ-ν) formandus fuerit. Omnia autem plana sunt, si σ extritum esse putamus:

ἱδρώς, χρώς: ἠώς = ἱδρῶ, χρόα: ἠῶ.

Ad quam explicationem optime quadrat vox derivata χροιά, χροιή ex χροσιᾱ*); Atticum χρόα fortasse ex *χρόσιᾰ ortum est, cf. ὠφέλεια ex *ὠφέλεσ-ιᾰ.

Deinde affero vocabulum αἰών, quod quondam stirpem in σ desinentem habuisse, Brugman ex accusativo αἰῶ non sine probabilitate concludit, cum etiam αἰές, αἰεί (vd. p. 27) formationem sigmaticam praebeant (cf. γελάω cum γέλως, αἰδέομαι cum αἰδώς).

Praeter eas voces, quas Brugman affert, numerus substantivorum in -ως non parvus accusativum in -ω format; sunt Τυφώς, ἅλως (gen. ἅλω et ἅλωος), κάλως (nominativi plur. reperitur forma κάλωες, dat. κάλωσι), λαγώς (apud Hom. ὁ λαγωός), Κέως, Ἄθως, Τέως, rarius ἀγήρως, ἐπίπλεως, ἀνάπλεως, ἀξιόχρεως, ὑπέρχρεως. Adscribuntur haec omnia vocabula declinationi Atticae secundae, de qua mihi liceat in universum pauca dicere, ut sententiam de illis accusativis exponendam fulciam. Quin haec declinatio non primaria fuerit, vix dubitari potest; equidem vero puto, eam

---

*) Initio fuit femininum adjectivi [cf. ἐσχατιή „finis, terminus" (L. Meyer II 485) et praeterea γελοῖος, γελοίᾱ, γελοῖον; ἠοίη, αἰδοία.]

inprimis lege illa phonetica Ionicae et maxime Atticae dialecti ortam esse, quae immutatio quantitatis seu metathesis quantitativa appellatur. Lex autem huic ipsi declinationi adaptata est ea fere, ut *η* ante *ο*, *οι*, *ω*, *ῳ*, *ου*, *οι* in *ε* mutetur, *ο*, *ου*, *οι* in *ω*, *ῳ* producantur. Qua lege nata sunt: *νεώς*, *λεώς*, nomina propria in *-νεως*, *-λεως* cadentes, adj. ut *ἵλεως*, *ἀξιόχρεως* cet. Non autem explicantur hoc modo vocabula ut *λαγώς*, *ἅλως*, *κάλως* cet.; aliae igitur causae indagandae sunt, quibus ea nata esse putemus. Atque contractione quidem nonnullae eiusmodi formae ortae sunt, ut *ἀγήρως* ex *ἀγήραος*; quibus adjungunt viri docti etiam *λαγώς* ex Homerica forma *λαγωός*, *γάλως* ex Homerico *γαλόως*. Quod mihi non ita confirmatum videtur, ut in hac explicatione acquiescendum sit; si enim *galva-s* forma primitiva fuit (Grz.[4] 173), non video, cur in lingua Attica non *γαλος* exstiterit, ut *ὅλος* ex *ὁλϝο-ς* (cf. de similibus formationibus, ubi *ϝ* vocalem non producit, L. Meyeri vergl. gramm. II 244 sqq.); nec puto, apud Homerum formam aliam exspectandam esse, quam *γαλος*; vocem *λαγώς* deduci posse e *λαγ-ϝο-ς* verisimilius est, quia forma exspectanda *λαγός* revera legitur apud Herodotum; sed legem reperire non possum, qua singulae dialecti Ionicae hic tantum differant. Si autem putemus, suffixum fuisse *-οϝο-*, apud Homerum *λαγωός* exspectandum est; sed cur non *γαλωος* quoque dicitur? cur apud Atticos non *γαλους*, *λαγους*, veluti *πλοῦς* e *πλοϝο-ς*? Credo potius, ad tertium modum recurrendum esse, quo declinationem Atticam natam esse censemus, quem cognoscimus e formis Attici vocabuli *ἕως*, *ἕω*, *ἕῳ*, acc. *ἕω*: particula enim harum vocum in Atticam declinationem a formatione in *-οσ* translata videtur. Invenimus deinde apud Hom. dativos *γέλῳ*, *ἱδρῷ* praeter accusativos *γέλω* *ἱδρῶ*, apud Atticos *χρῷ*, acc. *γέλων* praeter *χρωτί*, *γέλωτα*. Quid igitur verisimilius, quam putare hos accusativos sine *ν* formatos residuos esse ex declinatione nativa (cf. *ἕω*)? Confitemur quidem hunc accusativum inveniri etiam in vocibus, quae ab initio Atticam declinationem sequebantur (cf. *ἀγήρω*, *ἐπίπλεω*); sed harum accusativi sine *ν* formati rassissimi sunt (e. gr. *λαγών* non legitur

nisi semel apud Ar. vesp. 1203). Praeterea putandum est, haec vocabula omnia analogiam accusativorum ut ἕω secuta esse, quod magis credibile videtur, si plures eiusmodi accusativi in -ω ab initio exstiterunt, ita ut aut analogia formarum ut *νεών*, *λεών* cet. aut formarum ut ἕω, λάγω cet. valeret. Voces certo in has duas partes dividere omittam; satis est accusativos illos in -ω enumerare; sunt *Τυφῶ*, *ἅλω**), *κάλω* (plur *κάλως* notandus est), *λαγώ*, *ἕω*, *ἅλω*, *Κέω*, *Κῶ*, *Ἄθω*, *Τέω*, *ἀγήρω*, *ἐπίπλεω*, *ἀνάπλεω*, *ἀξιόχρεω*, *ὑπέρχρεω*. Accusativus *γαλω* non legitur, quamvis hoc vocabulum propter lat *glos*, *gloris* i. e. **glosis* stirpibus in -οσ- adscribere velimus.

Praeterea unum praesens a stirpe in -οσ formatum est: *ἀρόω* „aro". Tempora sunt: fut. *ἀρόσω* (cum σσ Anth. VII 175), *ἀρόσομαι*, aor. *ἤροσα* (Pind., Hesiod., Soph.; cum σσ non legitur nisi apud Apoll. Rhod. III 497), perf. pass. *ἀρήρομαι* (Hom. Σ 548), *ἠρόθην* (Soph.). De stirpe *ἀροσ* igitur, quam Leskien l. l. 121 improbat, dubitari potest, sed nescio, quo altero modo breves vocales futuri et aoristi explicari possint, nisi stirpem sigmaticam subesse putemus.

Denique nonnullae stirpes in -ον formas habent, quae aliter non possunt explicari quam ut residua sint stirpium in -οσ. Tales sunt primum comparativa, quorum accusativi sg. et nominativi accusativi pl. masc. in -ω et -ους exeunt, e. g. *μείζους* et *μείζω* praeter *μείζονες*, *μείζονας* et *μείζονα*; cf. lat. *majorem*, sscr. acc. pl. *mahîyasas*. Eadem formatio valet in pluribus casibus quoque vocabulorum *γλήχων*, *ἀηδών*, *χελιδών*, *εἰκών*; quae sunt (Kühner, ausf. Griech. gramm. 385): *βληχοῦς*, -οῖ,- ώ (*γλαχώ*); *ἀηδοῦς*, *ἀηδοῖ*; *χελιδοῖ*; *εἰκοῦς*, *εἰκῶ*.

Ab his differunt eo tantum, quod in omnibus casibus per ω scribuntur, *αἰών* quod jam supra commemoravimus,

---

*) Verbum *ἀλοιάω* animadvertendum est, quod fortasse ad stirpem *ἀλοσ* spectat, quae praeter stirpem *ἀλεσ* (in *ἀλέω*) exstitit, et ad nomen quoddam ut *ἀλοσια* *ἀλοια* derivandum usurpata videtur, unde denique *ἀλοιαjω*, *ἀλοιάω*, *ἀλοάω* descendit.

et nomina propria *Ἀπόλλων*, *Ποσειδῶν* (acc. *Ἀπόλλω*, *Ποσειδῶ*). Huius forma Dorica a ceteris abhorrens est *Ποτιδᾶς*.

5. STIRPES IN -ΥΣ CADENTES.

Num stirpes in -*υσ* in lingua Graeca exstiterint, dubitari potest. Liceat mihi primum verba enumerare, quae denominativi stirpium in -*υσ* videntur esse. Et Leskienius' quidem, qui (stud. II 118 sqq.) de his verbis egit, putat ea ex analogia stirpium in -*εσ*, -*ασ* formata esse, quia stirpes in -*υσ* cadentes a lingua Graeca alienae esse videantur; quod genus analogiae mihi non probatur, putem potius in his verbis residua stirpium in -*υσ* esse agnoscenda.

1) *ἀνύω* „perficio". Apud Homerum aor. *ἤνῠσα*, ap. Pind. Pyth. XII 19. 20 *ἄνυσσα* obvenit. Ceteras formas ob eam causam non affero, quia apud Atticos plerumque praesentis forma *ἀνύτω* invenitur, ita ut *σ*, si inest, ex *τ* natum esse possit.

2) *ἀρύω* „haurio"; praesens legitur primum apud Hes. (scut. 301) et deinde apud Hippocr. Atticos excludo, quia huius quoque verbi praesens per *τ* formant; forma praesentis *ἀρύσσομαι* apud Herod. VI 119 ab editoribus in dubium vocata in eiusque loco *ἀρύομαι* positum est, quae immutatio eo comprobatur, quod apud Hdt. IV 2 aor. *ἀπήρυσα* et VIII 137 *ἀρυσάμενος* legitur. Aor. pass. apud Hippocr. saepius legitur *ἠρύσθην*, apud Comicum quendam (fragm. III 405) semel *ἠρύθην*. In Hesiodi Opp. 550 est *ἀρυσσάμενος*. Apud Iones igitur praesens *ἀρυσjω* exstitisse conjicimus.

3) *ἐρύω* „traho". De hoc verbo egerunt Leskien (stud. II 119) et uberius Curtius (stud. VI 265 sqq.) Nos cum hoc viro docto stirpem verbi *ἐρυσ* pro certo habemus et ex formis praesentis *σ* elisum esse; formatio verbi *εἰρύω* nullo modo abhorret.

4) *καπύω* „spiro" (cf. Lesk. stud. II 120). *κάκῠρός* (?) „in aëre siccatus" est formatio sine *σ* facta.

5) Verbi *μεθύω* „ebrius sum" invenitur nullum tempus nisi aor. *ἐμέθυσα* (Nonn., Plut.); tamen praesens, ni fallor, a forma primaria *μεθυσjω* descend quia tit,em pora verbi

μεθύσκω „ebrium reddo", eiusdem stirpis nimirum atque hoc, semper cum σ formantur, e. g. aor. ἐμέθυ(σ)σα, ἐμεθύσθην.

6) Verbum τανύω „tendo" (Leskien p. 118) denominativum substantivi τανυσ esse censeo; tempora ille vir doctus congessit: apud posteriores praeter τετάνυσται legitur τετάνυται; τάνῦται (Hom. *P* 393) quidem aliam originem indicat, sed fortasse ab initio duae declinationes exstabant. Deverbativum affero τανυστύς (Hom. φ 112, cf. γελαστύς). Van. 270.

Apud Hom. legitur fut. γανύσσεται (*Ξ* 504), praesens autem est γάνυμαι.

εἰλύω „volvo" fut. εἰλῡσω, aor. εἴλῡσα, sed. aor. pass. εἰλύσθην (ἐλύσθην).

Praesens ἀφύω „haurio" legitur apud Hom. (ξ 95), apud eundem aor. ἤφυσ(σ)α (β 349, 379 alias), ἠφυσσάμην (*Ψ* 220, ψ 305 alias), ut credere possimus, ἀφύω a forma ἀφυσjω deductum esse. Leskien quidem (l. l. 123) aoristo dentalem explosivam subesse censuit. Praesens ἀφύσσω (*A* 598, ι 9) et fut. ἀφύξω (*A* 171) fortasse ad alteram stirpem referenda sunt.

Quod igitur nonnullis horum verborum stirpes nominum in -υσ subesse censemus, non audacius est, quia in lingua sscr. quidem eiusmodi stirpes traditae sunt, e. c. *cakšus* n. „oculus" *dhanus* n. m. „arcus" cet. (cf Benfey, vollst. gramm. p. 158 no CXLVII); adject. eiusdem generis est *jayúṣ* „vincens". Sed eas linguae Graecae proprias fuisse difficulter demonstratur, quia, si erant, extruso sigmate stirpibus in -υ plane adaequarentur, necesse erat; sicut ex verbo καπύω concludimus ponendam esse stirpem καπ-υσ, ita videtur non incredibile, nomen propr. Κάπυς, -υος eandem stirpem continere, quamquam certum sigmatis indicium deest. χέλῡς, -ῠος „testudo, lyra" cum σ, nisi fallor, invenitur in Theophrasteo χέλυσμα, sed forma χελύκλονος (scil. φόρμιγξ) doceri videmur, suffixum esse -υ. ἡ ἄρκυς,-υος „rete" comparatum cum Aeschyleo ἄρκυσμα (id.) suffixi -υσ ope postest formatum esse, tamen suspicio non omnino rejici potest, σ hic ex analogia aliorum nominum

contra leges irrepsisse, qua in re fortasse verbis *ἀρκύ-στατον*, *ἀρκυ-στασία* aliquid tribuendum est. *ἡ κάρυα, τὸ κάρυον* „nux juglans" fortasse per suffixum *-α* secundarium (cf. Schleicher comp.[3] p. 369) formata sunt, si licet cum iis conferre *Κάρυσ-τος*, nomen duarum urbium, quod jam apud Hom. (*B* 539) obvenit; ac videtur etiam nomen vici Laconici *Κάρυαι* hoc in loco ponendum esse; deinde apud Graecos species nucum *κάρυον Εὐβοϊκόν* (altera urbs *Κάρυστος* in insula Euboea sita erat) appellabatur, praeterea obviam sunt *κάρυα Καρύστια*, ita ut magnam probabilitatem habeat, illas urbes a nucum juglandium cultura nomen accepisse. Vocis *ἰγνύς, -ύος* „poples" accusativus formatur *ἰγνύα* (Aristot., hist. an. III 5), ex qua forma stirpem in consonam excidentem fuisse concludas, sed fortasse *-α* exitus accusativi usurpatus est ex analogia et stirpium vocalium et casuum obliquorum. Praeterea nonnulla nomina in *-υς* habent casus bisyllabos cum *ῑ*, trisyllabos cum *ι*, sic *χέλυς, ἰγνύς, ἰλύς, ἰσχύς, ὀσφύς*; sed haec formatio est etiam verbi *ὀφρύς* cuius stirps secundum sscr. *bhrû-s* (cuius acc. *bhruv-am*) sine dubio in *-û* excidit. Nomen pagi cuiusdam Attici *Κίκυννα* (Ar. nub. 134) fortasse ex *Κικυσ-να* ortum est, cf. *φαεννός, φαεινός* ex *φαϝεσνος* et nomen quod concluditur fortasse in subst. fem. gen. *κῖκυς,-υος* (Hom. *λ* 392; Aesch. fragm. 216) agnoscendum est. Denique ex stirpe in *-υσ* cadente derivatum videtur *κρόμυον*, quod secundum Pictet (orig. Indo-Europ. I 297) accuratius cum lit. *kermuszis* conjungitur (cf. Bugge, K. Z. XIX 419).

Ceterum res nondum ad liquidum perduci potest.

Sed unum genus stirpium in *-υσ* forma quadam derivata certum est; sunt feminina part. perf. act. in *-υῖα*, cf. sscr. *vid-uš-î* cum Graeco *ἰδ-υ-ῖα* ex *ἰδ-υσ-ιᾰ*, praeterea zend. *vīth-uši* et got. *berusjos*.

His participiis autem cum Woernero ‚sprachw. abhandlgn.' p. 113 sqq. nonnulla substantiva adseram, quae eiusdem formationis videntur esse*); quae sunt *ἄγυια, αἴθυια* (*Κάλ-*

*) Non incredibile quidem videtur, nonnulla eorum nominum feminina esse stirpium in *-υ*, ut sscr. *pṛthvî* est fem. adjectivi *pṛthu*;

λαίθυια), *῞Αρπυια, Ἐλείθυια, ῎Ιδυια, ὄργυια* et, quod dubitanter addidit, *Ὠρείθυια.* Denique quod Woerner vocem *ἰδυῖοι* exclusit, non probamus.

C. Σ SUFFIXUM INCIPIENS EVANUIT.

Etiam si stirpibus in vocalem desinentibus suffixum vel temporis vel casus vel aliusmodi a *σ et voc.* incipiens conjungitur, ex lege nostra *σ* evanescit.

a) genitivus sg. masc. et neutr. stirpium in -a initio suffixum *-sya* habuit in lingua sscr., zd., graeca, got., ita ut exitus *-a-sya* fuerit; unde in Graeca lingua **-οσιο, -οιο* natum est, et hoc quidem apud Hom. saepe legitur; *ι* deinde extrito formae in *-ω* et *-ου* excidentes in variis dialectis natae sunt, et *-οο* legendum videtur apud Hom. *B* 325, *κ* 36. 60, *α* 70 saepius (cf. Curtius erläutergn 55; Ahrens hom. formenlehre 15). Genitivos Homericos *Πετέωο* (*B* 552, *Δ* 327, *M* 331. 335, *N* 690), *Πηνελέωο* (*Ξ* 489; legitur etiam *Πηνελέοιο*) natos esse puto ex *Πετηοο Πετηοιο*, ut forma primaria ponenda sit *Patavasya (de *υ* seu *ϝ*, quod inseruimus, dubitari potest, sed spirans quaedam profecto evanuit); formas Atticas, ut *Μενέλεω* contractione natos esse putamus ex forma Homerica *Μενελέωο* quae ex *Μενεληοσιο* exstitit; accentus deinde retractus est ut in dativo *Μενέλεῳ* ex **Μενελέῳ*. Masculina primae, quae dicitur, declinationis linguae Indogermanicae vix tribui possunt; similes enim formationes Latinae et Slavicae eo differunt, quod femininorum declinationem praebent. Tamen putandum est, hanc formationem in lingua Graeca jam antiquissimis temporibus ortam et genitivi quidem terminationem *-αο*, quam Dores, Aeoles, Iones (exceptis Atticis) cuncti affigunt, ex *ᾱσjο* natam esse. Unde per contractionem apud Lesbios et Dores *-α* existere potuit, per metathesin quantitatis *-εω*; formam Atticam autem in *-ου* cadentem e declinatione secunda translatam credo, cum *-ω* exspectandum sit.

b) genitivi pl. stirpium in *-â* per suffixum *-sâm*

---

hoc summam probabilitatem habet in voce *ὄργυια*, quia in lingua sscra adj., quod videtur cognatum *ṛju* „rectus" adest.

formati nativus exitus *-âsâm* legibus Graecae linguae *-αων* factus est, quam formam saepe adhuc legimus: in dialecto Boeotica (*κατοπτάων* C. J. Gr. 1568) et apud Hom. (*μελισσάων ἀδινάων B* 87). Unde formae dialectorum propriae *-έων*, *-ᾶν*, *-ῶν* natae sunt.

c) suffixum dat. pl. *-σι* stirpibus vocalibus additum *σ* nunquam amisit. (Cf. p. 65.) Formae primae et secundae declinationis in *-αις*, *-οις* (dor., lesb., att.), *-ης*, *-υς*, (boeot.), *-ῃς* (Hom.) cadentes nescio quomodo natae sint, nam *ι* decidentis ab exitu, quod plerumque sumitur, parum exemplorum sunt, quam ut in hac explicatione acquiescere necesse sit.

d) suffixum sec. personae sg. act. temporum primariorum *-σι* haud mimus difficile explicatur; ex lege nostra excidisse videtur in formis *εἶ* „es" (v. p. 17) et *εἶ* „is", illud ex *ἐσι*, hoc ex *εἰσι*; omnes aliae formae eiusdem generis praebent *σ* in exitu ut *λέγεις*, *λέγῃς*, *τίθης*, *φῄς* (*φῃς*), *δώσεις* cet., quod Curtius (verb. I² 205 sqq.) paucis exemplis nisus per epenthesin explicare studet.

e) e suffixis sec. personae med. primario *-σαι*, secundario *-σο*, vocalibus si stirpibus affiguntur, ex lege nostra *σ* semper exterendum erat, sed multae exceptiones adnotandae sunt, quas ad explicandas postea incumbemus; regula autem fere ea est, ut post vocales, quae dicuntur, thematicas et modales (optativi *ῑ*, conjunctivi *ο*, *ε*) *σ* evanescat, post alias vocales servetur. Quae lex non quadrat ad aoristos verborum in *-μι*, ut *ἔθου*, *ἔδου*, ubi post vocalem radicalem *σ* extritum est, cuius rei causas infra, ubi de exceptionibus agemus, requisituri sumus.

f) suffixum futuri act. linguae Graecae *-σjω*, med. *-σjομαι**) stirpibus vocalibus additum ex lege nostra sigmatis elisionem semper pati debebat. Sed in hoc genere exceptionibus saepe locus datus est, de qua re postea agemus. *σ* autem deesse videmus primum in nonnullis futuris, quae, nisi fallor, formationem futuri nunquam ha-

---

*) De hac omni re cf. Curtius Vb. II 304 sqq.

buerunt, sed praesentia futurorum notionem adepta sunt, dico numerum futurorum Atticorum illum, quem supra stirpibus praesentibus in σ addidimus: ἐλῶ (apud Hom. ἐλόω), ἐρύω (Hom. λ 454), τανύω (φ 174), καλῶ, τελῶ, κορέω (Θ 379), στορῶ, περάαν (Φ 454; a verbo ponendo περαω derivatum, cuius futurum plerumque est περά-σ(σ)ω, aor. ἐπέρασ(σ)α), σκεδῶ (tempora huius verbi omnia σ indicant; σκεδάζω ex quo dentalem explosivam concludere velis, posterius invenitur), ἀλῶ (secundum Moeridem p. 17), ἀμφιῶ, μαχέομαι, μαχοῦμαι (aoristus apud Hom. est ἐμαχεσάμην; a Wolfio, Bekkero, Dindorfio quidem ex Aristarchi auctoritate μαχέσσομαι, ἐμαχεσσάμην mutata sunt in μαχήσομαι, ἐμαχησάμην, sed nos cum Leskienio l. l. p. 102 praesentis formam primariam fuisse censemus μαχεσjομαι, ita ut futuri forma respondens μαχέσσομαι ponenda sit), νέομαι. In his verbis et, nisi fallimur, in στερέω (fut. στερῶ apud Aesch. Prom. 862, sive sec. Hermann. 865), ἐμέω (fut. ἐμῶ, med. Aesch. Eum. 730), ἀνύω (fut. ἀνύω Hom. Δ 56), cum stirps in σ exciderit, forma futuri regularis ea tantum est, quae per σσ (poste σσ) formatur, et revera haec fere semper praeter alteram invenitur. Quod σσ, etsi postea in unum σ reductum est, nunquam excidit (formam εἶ „es" p. 17 explanasse putamus), ita ut e. c. τελέσω et τελῶ (fut.) omnino separanda videantur; neque ego video, quae alia tempora habenda sint, nisi praesentia, e quibus nimirum σ emissum est, quia in forma praesentis non altero sigmate ligatum erat. Quod non mirum videbitur, si reputaverimus praesens saepius a Graecis pro futuro esse usurpatum; quid enim, si formam tantum respicimus, εἶμι, ἔδομαι, πίομαι cet. sunt, nisi praesentia? Praeterea praesentis notio saepius prope ad futuri notionem accedit, praesertim si verba spectamus ut ἀνύω, quod etiamsi praesens dicitur, tamen ad tempus futurum pertinet. Denique memorabile videtur, quod e linguis cognatis Slavica et Gotica pro futuris praesentia verborum perfectivorum, quae dicuntur, usurpare solent (cf. Schleicher comp. 808 sq.). Sunt autem secundum Leskienium (handbuch des Kirchensl. p. 71) verba perfectiva ea, quorum

significatio ipsa notionem durandi excludit. Summum vero huius rei momentum videtur, quod formae futurorum, quas enumeravimus, ad futuri formationem nullo modo quadrant. Futurum eius generis putatur σώω (C. J. Gr. 600), quod si rectum est, praesens esse videtur praeter σώζω; sed propter hanc differentiam formationis alteri formae futuri notio attribui potuit. Alia eiusmodi praesentia, quibus notio futuri attributa est, duco esse ἀντιόω (*N* 752), χέω (apud Atticos), βείομαι, βέομαι „vivam" (*O* 194), δήω „inveniam" (*N* 260), κείω, κέω (*τ* 340) „cupio dormire", κρεμόω (*H* 83), κρεμῶ (apud Atticos), δαμάω, δαμόω (*Ψ* 271), neque ex iis σ elisum esse credam; Osthoffio igitur (verbum 330 sq.) in hac re adstipulari non possum, qui χέω cet. sigmatis elisione nata esse contenderit; nam cum viderimus, τελῶ cet. praesentis formam habere, cur hic σ elisum esse putemus, cum in universum in hoc tempore servetur? Respondent autem horum verborum plurima notioni verborum perfectivorum Slavorum; sunt*): ἀντιόω, χέω, δήω, κρεμόω, δαμάω, κείω, quod si transferimus in nostram linguam, nos quoque praesenti tempore utimur „ich begehre zu liegen"; solum βείομαι ad hanc explicationem non prorsus quadrat. Haud aliter explicem futurum γαμέω (forma γαμήσω non ante Plutarchum et Lucianum reperta ex analogia aliorum verborum in -έω formata est), quod apud Hom. et Atticos legitur. Hoc verbum sensum durativum tantopere excludit, ut futuri forma paene superflua videatur. Quod eo manifestum fit, quod forma γαμέω inter tempus futurum et praesens difficillime discernitur, e. c. apud Homerum formam γαμέειν (*o* 522) Veitch (greek verbs) praesenti adscribit, ego propter futuri formam ἕξειν, quae sequitur, futuro, et I 388. 391 Veitch γαμέω futurum tempus esse putat, sed Vossius vertit „ich begehr' zum Weibe", quod praesens est et propria significatio verbi videtur esse.

Haud aliter futura verborum in -άζω ex nostra sen-

*) Non omnibus semper hic sensus perfectivus inest; sed praebent eiusmodi notionem, ut saepe perfectivorum loco adhibeantur.

tentia sunt praesentia, ut plurima illorum forma a praesentibus usitatis disjuncta, neque de his Osthoffio assentior; ille enim vir doctus ἀντιάω natum essè censet ex ἀντιᾱσjω, cuius rei, etsi recte conjecta sit, nullum testimonium inveniri potest, cum ἀντιάω aut rectius ἀντιόω (nam haec sola forma prò futuro apud Hom. habetur) praesenti ἀντιάω vel ἀντιόω omnino par sit; quin etiam id obstat, quod talis forma, qualis proposita ab Osthoffio ἀντιᾶω, nusquam obvenit. Accedit, quod secundum Curtium (Grz.[4] 611 sqq.) praeter formas in -άζω saepissime formae in -άω inveniuntur, sic ἀντιάζω et ἀντιάω, ἁρπάζω et ἁρπῶμαι (Hesych.), δοκάζω et προσδοκάω, βιάζω et βιάω; ad ἑορτάζω ex nomine ἑορτή verbum ἑορταω potest conjici cet. Concedendum igitur videtur, primum utramque formationem exstitisse, postea alteram praevaluisse, alteram modificationem quandam notionis exhibentem ad futurum significandum praeter ipsa futura illorum verborum (ἀντιάω praeter ἀντιάσω) in usum venisse.

σ deinde cum aliis extritum esse puto e futuris verborum liquidorum (cf. Curtii Verb. II 302 sqq.). Quae prorsus eadem còndicione usa sunt ac praesentia quaedam: ut enim praes. τελέω ortum est e τελεσjω, sic fut. μενῶ e μενεσjω. Ad comunem formam horum futurorum etiam futura Dorica verborum liquidorum in universum quadrant, nisi quod vocalis contractione effecta interdum discrepat (C. J. 2671 κρινεῦντι cet.) et quod saepe ε exitus stirpis in ι mutatur (βαλίοντι, βαλίονται cet. tab. Heracl.).

Futura verborum in -ίζω contracta ut κομιῶ Osthoffius (l. l.) ex forma primaria κομιjε-σjω derivat, ut futurum formatum sit ex stirpe praesentis ea, quam formae ut κομιω (cf. μηνίω, μαστίω et μαστίζω, κλῄω et κληίζω) subesse censeamus.

g) Osthoffius praeterea (l. l. 328) numerum a o r i s t o r u m sigmatis elisione natum putat: sunt ἔχευα (att. ἔχεα), ἔσσευα, ἔκηα, ἀλευάμην, δατέασθαι (Hesiod. Opp. 767) et (secundum Joh. Schmidt, Vocalism. II 331) ἐπριάμην, ita ut ante σ extritum ἔχευσα (haec forma apud posteriores obvenit) cet., ἐπρισαμην dictum sit. Sed veram rationem

explicandi Brugmanum (Bezzenbergers beitr. II 247 sqq.) puto reperisse, qui hos aoristos uno ἐπριάμην excluso sanscriticis ut *áçravam*, **áçru-ma*, med. 3. pers. **açruta* (hae formae ab aliis verbis derivatae inveniuntur), Graecis ut *ἔθην, ἔθεμεν respondere dixit. Deinde neque ἐπριάμην e forma ἐπρισαμην derivari potest, cum imperativi forma πρίω aliam originem indicet. Ceterum vd. infra ubi de Eleorum quoque aoristis sine σ formatis exponemus, quid censeamus.

Postquam igitur collegimus, quae vocabnla sigmatis extrusione nata esse verisimile est, pauca liceat dicere de vocalium conjunctionibus, inter quas σ positum erat. Putaverunt viri docti (et inter eos Kuhnius Zeitschr. II 138) σ non excidere nisi post breves vocales, quod nostris exemplis non probatur. Raro quidem σ post vocalem productam eliditur, sed hoc in eo videtur positum esse, quod conjunctio: *longa voc.* + σ + *voc.* haud saepe in lingua Graeca invenitur; conjunctivi autem, ut λύῃ, δίδῳ cet. demonstrant, hoc genus elisionis non omnino deesse. Praeterea elisio saepe post diphthongos facta est: post αυ in aeol. αὔως cet., post ευ in γεύω, post ου in ἀκούω, post ει in εἶ „is", post αι in λαῖον, si recte Fickium secuti sumus, cet. Neque e vocalibus σ sequentibus exceptio quaedam videtur posse derivari. Hunc quoque locum rarius longae vocales tenent, quia nimirum conjunctio: *voc.* + σ + *longa voc.* raro obvenit; genitivi autem ut μελισσάων cet. demonstrant, elisionem, ubi haec conjunctio existebat, non esse omissam. Rarius etiam σ ante diphthongum excidit et exempla non praesto sunt, nisi ubi αι diphthongus σ subsequebatur, sed haec (sec. pers. ut λύει sive λύῃ cet.), quae volumus, satis superque demonstrant. Inter eas vocales, ante quas σ extritum esse videtur, ea quoque habenda est, quam Brugman (Nasalis Sonans, stud. IX) quondam nasalem fuisse censet (cf. ἕαται cet.). Deinde σ excidit, ubicumque literae *j* + *voc.* sequebantur; sic ἔαρ „sanguis" e *vasjar* deduximus, γελάω, λιλαίομαι, αἰδέομαι, ἠοῖος, τοῖο cet. ante ιο, εἴην, εἴης, εἴη ante ιη, τελείω, ἀκούω ante ιω σ extritum prae-

bent, ita ut jure spirantis *j* (sive vocalis *ι*?) *σ* sequentis nullam rationem in hac quaestione habeamus.

Difficilius est ad cognoscendum, utrum *σ* extritum sit ante *ϝ* + *voc.* necne. Ab aliis exemplis sejungendum videtur *ἄυπνος*, cuius formam primariam secundum linguas propinquas ponimus *ἀ-σϝοπ-νο-ς*; quae tamen forma primum per contractionem in *ἀ-συπ-νο-ς* est immutata, unde *ἄυπνος* profectum est. Contra cetera exempla, ex quibus literae conjunctae *voc.* + *σϝ* + *voc.* sigmatis elisionem passae esse videntur, vocalem post *ϝ* positam non immutatam praebent, ut de contractione illa cogitari non possit. Et nunc quidem ea exempla enumerabimus, de quibus agitur, rem in parte huius commentationis posteriore retractaturi, ubi de iis vocabulis eiusdem generis disseremus, quorum *σ* non elisum videtur. Quam enumerationem ita licet instituere, ut vocalium conjunctionem, in qua quondam *σ* legebatur, praemittamus, qua in re lineola (-) locum indicat, quem *σ* tenuit:

ε-ϝε: *εἴθιζον* cet. (p. 18; cf. *ἐερμένος* p. 20). Adjectiva ut *αἰπήεις*, *θυήεις* congessimus p. 27 sq.

α-ϝε: *ἀ-έδνωτος* (p. 19)

ε-ϝα: *ἑάνδονον* et quae eiusdem sunt radicis p. 18.

ο-ϝα: *ὄαρ* (p. 8)

α-ϝο: *ἄορ* (p 19), *ἀγανός* (p. 23)

ι-ϝο: *ἰός* „sagitta“ (p. 5)

ε-ϝω: *εἴωθα*, *εἰώθειν* (p. 18), *κεκοτηώς* (p. 29), *κεκορηώς* (Leskien stud. II 111).

α-ϝω: *δεδαώς* (p. 15).

Ex his ea vocabula segregamus, quae nihil ad disquisitionem valent; sunt primo loco *ὄαρ*, *ἄορ*, *ἀγανός*, *ἰός*, quia non satis persuasum habemus, quae eorum formae nativae fuerint; deinde *εἴθιζον* et propinqua, *εἴωθα*, *εἰώθειν*, *ἀέδνωτος*, *ἑάνδανον* et propinqua, quia fortasse ex eorum formis praefixo non exstructis (dico praesentia ut *ἐθίζω* cet., nomen *ἕδνον* cet.) *σ* initiale evanuit, ut temporis quodam spatio per *ϝ* inciperent, et quia fortasse tum demum praefixa (augmentum, *ἀ*-priv.) addita sunt, ut injuria de *σ* eliso loquamur. Postremo nec *δεδαώς*, si modo recte

censuimus radicis formam *das* fuisse, magni ponderis est; si enim ex *δεδασε* factum erat *δέδαε*, cur non credamus, formam *δεδασϝως* altera cum hoc indicativo congruente *δεδαώς* compensatam esse.

Post haec juvabit commemorare, *σ* iis neglectis, quae minus certa sunt, ex plus quinquaginta vocalium conjunctionibus diversis evanuisse.

PARS POSTERIOR.

Σ SERVATUM EST.

In majore harum disquisitionum particula de iis vocabulis agendum erit, quorum *σ* non simplicis spirantis speciem gerens e lingua Indogermanorum in linguam Graecam transiit. Ubi igitur *σ* ex aliis consonis natum non eliditur, lex nostra, dummodo accuratius sit definita, violata non est. Nihilominus perscrutatio omnium vocabulorum, quae in lingua Graeca, qualis nobis tradita est, simplex *σ* inter vocales positum praebent, necessaria videtur, origo uniuscuiusque sigmatis ut percipiatur. Sed mihi illico confitendum est, totam quaestionem hac disputatione non prorsus ad liquidum posse perduci. Quod non prius efficietur, quam etymologiae studiosi omnia eiusmodi vocabula explicaverint, quod opus non unius viri nec, ni fallor, unius est aetatis. Itaque saepenumero mihi puto satisfecisse, ubi demonstravero, hoc vel illud *σ* e lingua Indogermanica non traditum esse, aut, si qui hoc contenderint, nondum satis comprobatum, saepe etiam nihil aliud proficiemus, quam ut alias difficultates definiamus, alias detegamus. Fortasse aliqui mirabuntur, quod tam saepe de *σ* duplici agimus, cum huic assimilationem aliquam subesse constet. Cuius rei excusatio in eo posita est, quod *σσ* interdum ex *σj* (et *σϝ*) natum esse creditur; nobis enim hoc videtur dubium esse, quia *σj* tam saepe elisum est (et quaestio de *σϝ* non satis est explanata), ita ut perscrutationem horum quoque exemplorum non supervacaneam ducamus.

Minus ampla erit disquisitio eorum vocabulorum, in quibus σ ab initio inter duas vocales positum erat; quae ad explicanda nullam aliam rationem rectam possumus ducere, quam quae analogia earum formarum nititur, in quibus σ ex legibus phoneticis servatum est. Certius autem ex nostra sententia saepe intelligitur, illam rationem explicandi adhibendam esse, quam pro certo detegitur, quomodo aliarum formarum pondus praevaluerit.

1. Σ EX INDOGERMANICO ΣΣ NATUM EST.

Hoc σ invenitur, ubi stirpi sigmaticae suffixum per σ incipiens additum est; sunt igitur fere non nisi dativi pl., sec. personae sg. verborum εἶναι et ἧσθαι, futura et aoristi verborum, quorum stirpes in σ cadunt, i. e. hae formae:

verbi εἶναι sec. pers. sg. ind. praes. ἐσσί, imper. ep. ἔσσο, fut. ἔσσομαι (σ), ἔσσῃ (σ) sive ἔσσει (σ), ἔσσεται (σ) cet., ep. et dor. ἐσσοῦμαι (σ) cet., inf. ἔσσεσθαι (σ), dor. ἐσσεῖσθαι, 3. pl. imperf. ἦσαν, ἔσσαν (σ)

verbi ἧσθαι (rad. ἀς): ἧσαι, ἧσο (imper. et imperf.), fut. (καθ-)ήσομαι (?);

formas aoristorum et futurorum eiusmodi omnes attulimus (pp. 9 sqq., 23 sqq.), exempli causa hoc in loco paucas ponimus:

κορέσσω (σ), κορέσσασθαι (σ); ἐλάσσω (σ), ἤλασσα (σ); ἐρύσσειν (σ), ἐρύσσαι (σ); ζέσσειν (σ), ζέσσαι (σ) cet.

exempla dativorum plur. nomino:

ὄρεσσι (σ), δέπασσι (σ)*).

Quo ex conspectu apparet, σ et σσ hic alternari; et apud Atticos quidem σ non nisi simplex invenitur.

Quae praeterea suffixa nominalia a σ incipientia afferre possumus, fere omnia sunt incerta:

a) suffixum aliquod -σο (fem. -σα) in lingua Graeca posse poni, propterea verisimile est, quod linguae sscr. non deest (cf. Lindner l. l. p. 110); quae quidem exempla reperiuntur, si modo veriloquia plana sunt, aut posteriori tempori videntur attribuenda aut ad formas verbi sigmaticas, aoristum et futurum, inclinata.

---

*) Exempla nonnulla σσ (σ) ex σσj aut σσϝ natum habent.

γαυσός sive *γαῦσος* „curvus" cognatum videtur cum *γυιός*, *γυῖα* cet. (Van. 230; Hippocrates hoc vocabulum de *μηροῖς* usurpavit) et cum *γαυλός* „vas rotundum", *γαῦλος* „navis rotunda". De forma primaria autem nihil certi afferre possum.

Praeter *πίσος* „genus leguminum" (Aristoph.) etiam *πίσσος*, *πισός*, *πίσον*, *πίσσον* leguntur; quibuscum quae ex ceteris linguis Indogermanicis comparantur: lat. *pîsum*, *pinsio*, slav. *pĭš-eno* „*ἄλφιτον*", *pĭš-enica* „triticum" quaeque vocabula similia lingua Graeca ipsa praebet: *πτίσανον*, *πτισάνη*, *πτίσσω*, non levi opera in unam stirpem reducuntur. Sed cum de radicis forma *pis* vix possit dubitari (cf. sscr. *piš* „terere, pinsere"), *πίσος* (*σσ*), *πίσον* (*σσ*) fortasse ex illa per suffixum-*σο* derivata sunt. Osthoffii conjecturam (verb. in der nominalcomp. 339), praesens cum nasali formatum ex forma *πτινσjω* exstitisse (vd. infra), propterea ad haec substantiva non transferimus, quia ex *πινσ-ο* nisi fallor, *πῖσο* nasci necesse est (cf. *πόλῖς* ex *πόλι-νς* et praeterea *εἴσω* ex *ἐνσω*).

πίσα· πότιστρα (schol. ad Pind. Isthm. VI 108). Nescio num e *πισ-τός*, *πίσ-τρα* radicis formam *πισ* fuisse concludere liceat; quod si creditur, *πίσα* fortasse ex *πισ-σα* ortum est. Cum eodem verbo *πιεῖν* conjunguntur *Πῖσα* et *τὸ πῖσος* „pratum" (Van. 452), quae vocabula fortasse conjungenda sunt cum sscr. *pîvan* „pinguis", Graeco *πίων*, ita ut formae primariae *πīϝ-σα*, *πīϝ-σος* fuerint. Quae etymologia ad notionem non minus apta est*) nec alias formas sic existere potuisse credo.

καῦσος „fervor" ad aor. et fut. formas applicatum esse propterea censeo, quia complures formae nominum a *καυσ-* incipientes exstant, ad quas aut compluria suffixa sigmatica sumenda sunt, aut putandum est, quod facilius videtur, omnes ad formas verbi sigmaticas esse adjunctas; sunt praeter illud *καύσων* et *καυσαλίς*. Si *καύσων* (idem significat ac *καῦσος*) prius ortum est quam *καῦσος* (cui rei obest, quod hoc apud Hippocr., Aristot. invenitur, illud in

*) *πίων* de solo dicitur in Iliade (*M* 283. *Ψ* 832 saepius) et alias.

N. T. et apud Athen.), illud ex *καυσ-ϝων* natum putari potest.

Vocis *γρᾶσος* „foetor caprinus“ (Aristot., apud Hesych. scribitur *γράσος· δυσοσμία*) origo perobscura est. Mira quadam ratione *γράσων* quoque praeter *γρᾶσος* ut *καύσων* praeter *καῖσος* eodem suffixo exstructum legitur; fortasse nom. propr. *Γρᾶς* cum his vocibus propinquitate cohaeret, sejungendum contra est *Γράσος* (nomen campi Trojani apud Nicandrum poetam); hoc a poeta fictum videtur esse idque ad verbum *γράω* (cf. *γράσ-τις*) applicatum.

Ut *καῦσος καύσων, γρᾶσος γράσων* inter se respondent, sic fortasse *πέτασος* (Theophr. apud Athen.) et *πετασών* „perna“ conjungenda sunt, quamquam significatus multum differunt; sed si recte putamus, utramque vocem cum verbo *πετάννυμι* cohaerere, conjunctio fortasse fit probabilis; formatio igitur ab aoristo et futuro inclinata videtur.

θίασος „turba“ optime a Fickio (I[3] 635) cum sscr. *dhiyasâna-* „animi attentio“ putamus esse conjunctum. Qui vir doctus concentum non pertinere nisi ad radicem jam animadvertit. Hoc nomen inter ea, quae *-ασο* suffixi ope formata sunt, fortasse vetustissimum est. Ex lingua Graeca nihil potest comparari quam quod secundum Athenaeum apud Nicandrum legebatur *θϊαγών* (panis quidam, quem Aeoles diis consecrabant); quibus *θια-* commune est.

Nomina propria *Ἴασος* (Düntzer K. Z. XIV 201 scribit apud Hom. *σ* 246 *ἴασον Ἄργος* et explicat „florens“), *Ἰασίδης*, *Ἰασίων*, *Ἰασεύς* inter se cohaerere videntur et fortasse e radice *is* „concitare“ (cf. *ἰάομαι* p. 5; Van. p. 88) derivanda sunt, qua in re magni momenti est, quod urbis nomen *Ἴασος* etiam *Ἰασσός* scribitur (cf. Roscher stud. IV 200). Fickius (griech. personennamen p. 178) haec vocabula cum verbo *ἰαίνω* conjunxit, quae sententia eo infirmatur, quod *ἰαίνω* apud Hom. per breve *ι* legitur*).

*) Quae alia nomina propr. hic nominare possumus ut *Ἔλασος* [aor. verbi *ἤλασ(σ)α*], hic et postea propterea omittimus, quia ex Fickii ratione explicandi breviores formae e plenis i. e. compositis natae sunt. Urbium autem nomina non eodem modo nata, ubi praesto sunt, afferemus.

κρύφασος „jactus quidam talorum“ apud Pollucem occurrit et fortasse cum *κρύφα*, *κρυφαῖος* ita conjungendum est, ut formatio ad *θίασος*, *κέρασος* cet. sit applicata.

Ad *λοιβάσιον* „vas ad *λοιβήν*“ (Epich. ap. Athen. 408 D, 486 A) explicandum verbum *λοιβάζω* conjicio.

τιθασός „cicur“ propterea memorabile est, quod cum *σσ* quoque traditur (Aristot.). Quod si recte cum radice *dhâ* „felare“ conjunctum est, putamus formam reduplicatam abjecta vocali radicali *τιθ* („gebrochene Reduplication“) subesse; cf. sscr. *dadh-i* „oxygala“ formasque aliis radicibus subjungendas *dadh-mas*, *dad-mas* et formas Graecas *τίτθ-ος* „mamma“, *τίτθ-η* „nutrix“ (pro *τιθασός* apud Aratum legitur *τιθός*). Cf. Grz.[4] 252.

Vocabulorum *κύτισος* „genus trifolii“ et *τάμισος· πυτία* (Theocr.) veriloquia perobscura sunt (Fickii conjectura de *τάμισος* II[3] 100 ingeniosior est quam verior); fortasse autem mutata vocali illis formationibus in *-ασο-ς* respondent, ut profecto *μέθυσος* ad aoristum verbi *μεθύσκω* applicandum videtur, nisi formam primariam *μεθυσ-σο-ς* ponere volumus.

Vocabula denique a talibus formationibus in *-ασος* derivata nonnulla affero, quorum tamen pars origine obscura est, nec contendere audeam, eas alio modo explicari non posse:

Δίασια „dies *Διὶ μειλιχίῳ* sacer“

φλιάσιος (apud Lacedaemonios mensem illum significat, quo fructus maturescebant)

σπαράσιον (*ὄρνεον ἐμφερὲς στρουθῷ. ἔνιοι σκίψ* Hesych.); cf. Van. 1188

ἀγλασινόν (*καλόν* Hesych.)

ἀγασυλλίς „heracleum gummiferum“ (Diosc.) videtur cum verbo *ἄγαμαι* conjungendum et pluribus suffixis cumulatis aoristo applicandum esse.

γελασῖνος (*γελαστής* apud poster.)

b) suff. *-σανο*; ex lingua sscr. *-san* et *-sani* et *-sna* comparari possunt (cf. Lindner 111 sq.). Neque hoc sine dubitatione sumo, nam e glossa illa Hesychiana *γάρσανα· φρύγανα. Κρῆτες* suffixum *-σανο* propterea non pro certo constituere possumus, quia radix verbi non satis definita est; solum *γάρ-καν· ῥάβδον. Μακεδόνες* (Hesych.) eandem

radicem γαρ praebet, cum e forma γάρρα· ῥάβδος (Hesych.) radicem γαρσ fuisse concludas.

In voce εὔσανα· τὰ ἐγκαύματα (Poll. VI 31, 91) suffixo -σανα magna probabilitas est, radix enim est εὐσ (vd. supra pg. 4).

θύσανος „fimbriae", nisi fallor, recte cum radice idg. *dhû* conjungitur, cui notio „celeris motus" est; in lingua Graeca forma radicis θυσ praebetur verbis θύσθλα, θύστης θυστάς et ad eandem spectare θυσ-σανο-ς (cf. θυσσανόεις,) credimus Curtio auctore (Grz.[4] 259).

Eiusdem notonis ac πτίσανον, πτισάνη „polenta" est slav. *pĭšeno* n., cuius forma non solum eo differt, quod forma primaria cum *s* simplici ponenda est, sed etiam vocales syllabae secundae, non congruunt, denique totum suffixum aliud videtur esse.

Praeter τραύσανον „sarmenta arida" legitur τραύξανον (utrumque apud Pherecratem); radicem Curtius (stud. I b 296) dixit esse τρυγ propter substantivum τρύγη, nisi fallor, quod praeter„ fructum" et „messem" „siccitatem, ariditatem" significat.

c) alia suffixa per σ incipientia:

σαυσαρός „aridus" videtur suffixi -σαρο ope formatum, quod etiam in lingua sscr. invenitur eodem accentu exstructum (cf. Lindner l. l. 111); Fickius (II[3] 258) comparat σαυκός, cui vocabulo σαυχμός (Hesych.) addendum videtur; contra lit. *sausas* et slav. *suchŭ* sejungimus, quibus ad literam αὖος respondeat.

σαύσαξ (σαύσακας· τυροὺς ἁπαλοὺς εὐτρόφους. Hesych.). Ad suffixi formam nihil comparari potest nisi φάσακες (συκοφάνται Hesych.).

2. Σ EX *DENTALI EXPLOSIVA* + Σ NATUM EST.

Haec assimilatio praecique in futuris et aoristis verborum dentalium et dativis plur. stirpium in dentales cadentium invenitur. Exempla sunt: ἐλογισάμην-λογίσομαι, ἔφρασα-φράσω, ἐδίκασα -δικάσω; σώμασι, κόρυσι, λάμπασι.

In futuris et dativis *j* vel *Ϝ* post σ locum habuerunt.

Non alia fit assimilatio, ubi ante dentalem nasalis

posita erat, ut in σπείσω-ἔσπεισα, κλίσω-ἐκύλισα; χαρίεισι, πράξασι, διδοῦσι, δείκνυσι; dialectorum formas diversas vd. apud Brugmanum (stud. IV 93).

Huc secundum Curtium (vb. II 284) etiam ἔπεσον pertinet ex ἐπετ-σον natum, cum Dores et Aeoles aoristum regularem ἔπετον habeant.

Apud Homerum (et in dialecto Aeolica) σσ pro vulgari σ invenitur in formis verborum in -ζω, ut δικάσσατε (Ψ 574), φράσσομαι (ε 188); in aliis stirpibus et dialectis plerumque σ legitur*). Quod Dores futura et aoristos stirpium dentalium per ξ formant, ego facio cum Cauero (sprachw. abhandlgn. 129 sqq.), qui hoc analogiae potius, quam regulae cuidam phoneticae tribuit.

De singulis verbis hoc loco tractanda sunt:

dor. ἴσαντι idem atque Atticum ἴσασι, quibus in dialecto Dorica totum paradigma ἴσαμι additum est. Quamvis harum formarum origo obscura sit (cf. Ahr. II 345, Curtius stud. I a 239 sqq., Fick I[3] 785), inter omnes constat, σ in hoc verbo ex δσ natum esse.

μύσος „fastidium“, μυσαρός cet. recte a Benfeyo (griech. wurzellex. I 482) cum μύδος, „humor“ videntur conjuncta esse. Quorum vocabulorum suffixa -σος, -σαρο sunt (cf. Grz.[4] 359).

ἄση „satietas“ fortasse eodem modo cum ἄδην (ἄδδην) „satis“ seu cum lat. stirpe săt (satis, satus, satur) conjungendum est, ita ut stirpi dentali suffixum -σᾱ adjectum sit; cf. Iricum sásaim „satio“. Ex ἄση fluxit ἀσηρός (apud Hippocr. al.), ad quod fortasse ἀσᾱροτέρας referendum est, quod in Sapph. fragm. 77 legitur; cui notio si hoc recte conjecimus inest „Ekel empfindend, schwer zugänglich“. Equidem non intellego, quomodo haec vox ad verbum ἀάω reduci possit.

Derivata a suffixo -ασο-, quod tamen in his exemplis ex stirpe dentali ortum est, videntur esse θαυμάσιος, δαμασώνιον (nomen herba ecuiusdam rodentis; cf. δαμάζω) et fortasse nonnulla alia.

---

*) Abhorrent tab. Her. II 28 ἐδασσάμεθα, lesb. ἐδίκασσε cet.; cf. διαστήμασσιν ex Ahrensii conjectura scribendum (diall. II 91 sq., 140 sq.).

Quae postrema hoc loco allaturus sum, plerumque et de suffixo et de radice perobscura sunt; formae suffixorum sunt *-σο*, *-σακ*, de quibus jam antea disseruimus, *-σος* (cf. *φάρσος*, *ἄψος*, *ἄλσος*, *ἄρσεα* Grz.[4] 359), *-συρο*; sed potest etiam de suffixis e *j* incipientibus cogitari. Vocabulorum *οἶσον* „vimenta", *οἶσος* (genus salicis) — ex quorum stirpe, nisi fallor, propagatum est *οἰσία* „saltus" — *οἶσαξ* (cf. *δόναξ*) radicem puto *ϝιτ* esse, quam praeterea vocabula Graeca *ἰτέα*, *ἴτυς* praebent. Cf. Grz. 392.*) *ἰσάτις*, *ἴσατις* „vitrum" (germ. „waid"), quae leguntur apud Hippocr. et Diosc., fortasse ex eadem radice per suffixum sigmaticum formata sunt.

πεῖσα (Hom. *υ* 23) „obsequium", fortasse ex *πειϑ-jă* natum est (vd. infra sub. num. 3).

φῦσα, ion. *φύση* „follis, halitus" ad radicem *put* spectare duco, cuius forma in lingua sscr. est *phut*. Quae concluditur ex lit. *pùsti* et *putà*; sed suffixum fortasse est *-ιă*, quemadmodum in lingua lit. praesens per *ja-* suff. formatum est *puczú*.

Vocis *κνῖσα*, *κνίση* „adeps" (invenitur praeterea *κνίσσα*) suffixum *-ιă* et *-σα* potest esse; Fickius (II[3] 94) comparavit lat. *nîdor*, cuius notio fere eadem est.

ἄλεισον, *ἄλεισος* „poculum toreumatis ornatum" a Clemmio (stud. VIII 110) *ἀνετυμολόγητον* dicitur. Sed fortasse radix *λῑτ* (Van. 233) inest, cuius notio est propria „levis, politus"; derivata enim ab eadem radice *λίστρον*, *λιστρεύω* non solum ad planandum, sed etiam ad fodiendum spectant; in nostro autem vocabulo vocalis aucta et *ἀ-* praefixum est; suffixi tamen formam *-σο* ponendam esse, non pro certo habemus, quia in lingua quidem sscr. suff. *-sa* radicibus auctis non affigitur, nisi in vocalem excidunt.

μῖσος, si recte a Windischio cum radice scr. *mith* „altercari" et Irico *miscais* „odium" conjungitur, per *-σος* suffixum formatum potest esse; nam quod cum vocibus Latinis *miser* et *maestus* comparatur, propter notionem probabilitate caret. (Windisch, kurzgf. irische gramm. p. 12).

---

*) Non dubito, quin radix nativa fuerit *vi*, *vî*, fortasse autem jam in lingua Indogermanica determinativum *t* additum est.

Ad *κυσός*(· *πυγή, γυναικαῖον αἰδοῖον* Hesych.) radicem *κυτ* pono propterea, quod plura verba Graeca non ex una omnia nisi ex hac emanare potuerunt; sunt: *τό κύτος* „cavum“, *κύσθος* „cavum, cunnus“, *κύστις* „membrana, vesica“, *κυσσαρός* „anus“. Quam in radicem lat. *cunnus* quoque referri potest (cf. *penna* ex *pet-na*). Suffixum igitur *-σο* videtur esse, quemadmodum *κυσσαρός* (Hippocr.) suffixo illo *-σαρο* exstructum est, quod jam saepius invenimus. Froehdio igitur (Bezzenb. beitr. I 329) assentiri non possum, qui ad vocem Lat. explicandam formam primariam *kuśnas*, ad Graecam *kunsas* proponit. Vocabulum contra lit. *kuszys* neque ille neque ego accuratius cum Graeco et Latino conjungere possumus.

κισσός „hedera“ cum hoc ipso vocabulo lat. a Windischio (cf. Fick II 78) optime videtur comparatum esse, quorum forma primaria fuit *ghadh-ja-s*; *κίσσαρος* vero (idem significat ap. Hippocr.; apud Diosc. legitur quoque pro *κίστος* seu *κίσθος*) suffixi *-σαρο* ope formatum videtur. Quominus *κισσός* ex *κιθ-σο-ς* natum faciamus, impedimur forma Attica *κιττός*, quae praeter *κισσός* apud scriptores recentioris aetatis invenitur.

ῥῡσός „rugosus“ secundum Curtium (stud. VI 271) cum *ῥῠτίς* „ruga“ comparo; quantitates quidem vocalium differunt, sed cum utrumque vocabulum cum verbo *ἐρύω* conjungendum videatur, adjectivum *ῥῡτός* licet conferre, cuius *υ* productum est. Fortasse autem rectius suffixum ponitur *-tja*.

βλοσυρός „uber, terribilis“ a Curtio (Grz.[4] 538) cum *βλωθρός* conjungitur et e radice quadam *βλοθ* derivatur.

Singulare huius generis exemplum esse *κασσῡ́ω*, jam eo manifestum fit, quod forma *καττῡ́ω* praeter illam obvenit. Secundum Pottium hoc verbum ex forma praepositionis *κατά* cum verbo *σῡ́ω* confluxit (cui quae respondent vd. apud Curtium Grz. 385); quod verbum non invenitur nisi apud Jones et Atticos et fortasse non ante dialectos disjunctas a loquentibus pro uno verbo habitum est, ita ut praepositionis vis tota imminueretur.

Quibus nom. propr. adjicienda esse credimus: *Ἀλεί-*

σιον (vicus Eleus), *Ἄρπασος* (ramus Araxis fluminis), *Οἰσύμη* (urbs Macedonica) al.; nomina personarum ut *Κραίγασος* (cf. *κραυγάζω*) excludimus (cf. p. 48 not.).

3. Σ PER ASSIMILATIONEM EX *DURA DENTALI* (*T, Δ*) + *J* ORTUM EST.

Huius assimilationis duo genera distinguenda sunt, quorum

a) alterum id est, ubi ante dentalem nasalis locum tenuit. Quae assimilatio in Graecorum lingua communi non perfecta est, cum dialecti Cretensium et Argivorum nasalem servaverint. Exempla huius generis fere omnia sunt feminina stirpium in *-αντ*, *-εντ*, *-οντ*: *πᾶσα*, *στᾶσα*, *τιθεῖσα*, *λύουσα*, *ἁλοῦσα*; cf. *ἄγχουσα* s. *ἔγχουσα* (planta ad infucandum), *αἴθουσα* (porticus ante domum); formas Creticas ex Ahrensio (II 104) nomino *πάνσας*, *ὑπαρχόνσας*. Quam nasalem ex Graecorum lingua communi nondum evanuisse, ex eo quoque cognoscitur, quod vocalis productio in diversis dialectis differt (cf. dor. *ἔωσα*, *ἄγωσα*; lesb. *παῖσα*, *τύχοισα*; ad formas Boeoticas *σταθεῖσα*, *τεθεῖσα* explicandas formae in *-ησα* priores ponuntur; cf. Ahr. II 153 sqq.)

In universum igitur eiusmodi voces per simplex *σ* scribuntur; mihi non notum est nisi unum exemplum consonae geminatae, *ἀντ-αποδιδῶσσα* illud inscriptionis nuper Olympiae effossae (Caueri del. p. 135).

Pro certo unum tantum vocabulum praeter illas formas hac assimilatione natum addo:

att. *Μοῦσα*, lesb. *Μοῖσα*, boeot. et lacon. *Μῶσα* (unde postea apud Lacones *Μῶα* factum est) et, si recte Ahrensius (II 106 sq.) Anecd. Oxon. correxit, argiv. *Μόνσα*. Etymologiam Curtius (Grz.[4] 313) satis explanavit, et de forma primitiva ne dubitemus, consensu dialectorum impedimur. Derivata congessit Vaniček (p. 662), quibus adserimus *μουσάριον* „collyrium" et *μουσήλιον* (herbae cuiusdam nomen), quibus nomina propr. *Μουσάριον* et *Μουσήλιος* respondent.

Praeterea videntur derivata huius formationis esse:

γερουσία, ἑκούσιος, ἐθελούσιος, ἐπιούσιος, Φλιάσιοι, Προβαλίσιοι cet. Sed dialecti saepe ita discrepant, ut nulla omnino assimilatio facta sit; Spartani enim dicebant γερουτία, apud Hdt. legitur Σελινούσιοι, apud Thuc. Σελινούντιοι, apud tragicos poetas obvenit Ἀχερούσιος, apud Aristoph. Ἀχερόντιός cet. Ac numerus quidem talium formationum posterioribus temporibus natus analogiam formarum cognatarum est secutus; sic fortasse Ἀχερόντιος ad cas. obliquos vocis Ἀχέρων applicatum est. Sed cur non ex Ἀγερόντιᾰ (n. pl.) Ἀχερουσα exstitit, ut ex λυοντιᾰ (f. sg.) λύουσα ι amisso, cum ab Atticis plerumque scribatur Ἀχερούσια? Assimilationem plenam (ut hoc modo eam significemus, qua ι evanescit) reperimus, ubi ea terminatio feminini -ιᾰ (sscr. î; Sievers, Paul u. Br. beitr. V 137 sqq.) affigitur, cui formae masculini et neutrius per ι formatae non respondeant; contra suffixum adjectivorum -ιος, -ιᾱ, -ιον nunquam (nec. neutr. plur. -ιᾰ) ita cum consona antecedenti conjungitur, ut ι evanescat; neque evanescit, ubi substantivum feminini generis per suffixum -ιᾱ formatur. Quam imperfectam assimilationem rectius sub num. huius partis 10 (p. 69 sqq.) tractabimus.

b) alterum id, cuius τ seu ϑ post vocales positum erat. Ex τj et ϑj assimilatione fit σσ, sed in dialectis Boeotica, Thessalica, Attica ττ. Quae differentia dialectorum mira eo ipso argumento videtur, quod duae, quae plerumque putantur, dialecti Aeolicae et dialectus Attica, i. e. pars Jonicae, communem rationem sequuntur. Cuius rei explicationi usitatae, ex qua *dent.* + j in *dent.* + σ immutata sit et in singulis dialectis *dent.* + σ aut in σσ aut in ττ abierit, nuper Ascoli (studj critici II 410 sqq.) repugnavit. Censet enim ille vir doctus, *gutt.*, *dent.*, *lab.* + j communiter sono palatali affici, unde ςς, σσ nascatur; ττ vero ubicunque reperiatur, postea ex σσ esse ortum. Sed quod etiam *lab.* + j in σσ abire posse credit, nobis non satis probatur: quae enim exempla affert, omnia, quoad etymologiae constant, labialem habent e gutturali altera (Fickii *k*) affectione labiali natam (cf. ad πέσσω, ὄσσε, ἐνίσσω cet. Grz.[4] 453 sqq.); φάσσα (φάττα) quidem, quod praeter

haec nominat, propterea in dubio remanet, quia vox, quae cognata videtur, *φάψ*, *φαβός* per mediam scribitur, ita ut ex Ascolii sententia *φαζα* (*φαδδα*) exspectandum sit. *κόσσος* denique nescio num recte cum verbo *κόπτω* conjungatur, neque huius vocis veriloquium ipsum satis firmatum videtur (cf. Curtii Grz.[4] 152 et Fickii I[3] 807 sub 1 *skap*, 2 *skap*). Nos autem ex ea ipsa re, quod gutturalis illa cum *j* sequente in *σσ* commutata est, concludi posse censemus, hanc mutationem mature factam esse, idque fortasse temporibus illis, quibus Graeci omnes unam dialectum loquebantur; si enim jure credimus, non futurum fuisse, ut hoc fieret, nisi sonus ille tunc gutturali similior fuisset quam labiali, cogitari non potest nisi de antiquissimis temporibus. Et dialectorum omnes partes majores (non enim unum trium corporum dialectorum exclusum est, sed e duobus diversis corporibus singulae dialecti) una *σσ* praebent. Mirum id unum est*), quod vocis *μέσος*, *μέσσος* nullae formae per *τ* scriptae exstant; quin autem haec vox plane eadem sit ac sscr. *madhyas*, lat. *medius*, nullo modo dubitari potest. Simili huius exempli assimilatione videntur nata *πόσος* (*κόσος*), *τόσος*, *ὅσος*, praeter quae formae Homericae cum *σσ* exstant; apud Boeotos forma *ὀπόττος* (Beermann stud. IX 66) tradita est; formas primarias jam Ahrensius (I 66; cf. Meister stud. IV 409) *τοτιος* (*ὀτιος*, *κοτιος*) esse intellexit.

Nos autem, cum quaestio sit de *σ* intervocali, ea exempla missa faciemus, quorum *σ* seu *σσ* in dialectis *ττ* respondent.

Addimus nonnulla:

νεμεσσάω recte a Leskienio (stud. II 71) in formam primariam *νεμετjαω* reducitur. Quod verbum saepe cum simplici *σ* scribitur.

βῆσσα, dor. *βᾶσσα* semper per *σσ*, sed nomen urbis *Βῆσσα* et derivata (*Βησαεύς*, *Βήσαζε*) cum simplici *σ* scripta inveniuntur. Etymologi (Grz.[4] 466; Fick[3] II 164) vocem cum *βαθύς* conjungunt.

*) Alia eiusdem generis, quae Ascoli (l. l. 413 sqq.) contulit, propterea omitto, quia aut rarius tradita sunt aut quodammodo differunt, ut *ἀνάσσω*, *ἄνασσα*, quorum *σσ* ex *κτj* nata sunt.

πρόσω, *πρόσσω*, quae recte (Fick II[3] 145) a *πόρσω*, *πόῤῥω* sejuncta videntur, e forma primaria *προ-τjωτ* derivamus.

Eodem modo *ὀπίσω* ep. *ὀπίσσω* explicem; e formis enim *ὄπισθεν*, *ὄπιθεν* stirpem *ὀπι-* concludimus, ex qua adverbium formatum sit *ὀπι-τjωτ*.

βυσσός (Grz.[4] 466), *ἄβυσσος* cognata voci *βυθός* habenda sunt; formam igitur primariam ponimus per *θj* scriptam.

σάρισσα (praeter *σάρῑσα*) ab Ascolio (K. Z. XVII 408) e forma nativa *σϝαριθjα* deducitur, quae ex got. *svaírd*, germ. *svërt* conclusa est. Quae tamen vox nobis, quia non invenitur nisi apud post. (Pol., Plut., Luc.), ex dialecto aliena desumpta videtur.

χρυσός, quod ex usitata ratione explicandi hoc loco tractandum est, translatum potius esse e lingua Semitica credimus cum Aug. Müllero (Bezz. beitr. I 299).

ὑσσός „jaculum" cum Benfeyo (I 680) cum rad. *yudh* (*ὑσμίνη*) conjungimus, ita ut forma primaria fuerit *ὑθjο-ς*.

Nomina propria in *-ασσος*, *-ησσος* ut *Ἁλικαρνασσός* non eo modo explico, quo Cauerus (stud. VIII 284, not. 26) fecit. *Ἁλικαρνατέων* enim illud non minus (cf. stud. V 264), quam lin. 13 *Σαλμακιτέων*, nomen incolarum esse duco et cum stirpe huius formae cohaerere nomen urbis, cuius forma primitiva *Ἁλικαρνατ-jο-ς* videtur fuisse; unde *Ἁλικαρνασσός*, *Ἁλικαρνησσός* nata esse et ex his novum incolarum nomen *Ἁλικαρνάσσιοι* (*η*) exstitisse, quod per simplex quoque *σ* scriptum invenitur. Si autem Cauer recte contendat, scripturam per *ττ* non reperiri, ab hac voce tot aliae separandae sint, quarum suffixa cognata esse censeo, *Ἀμαμασσός*, *Ἀσσησός*, *Βαδησσός* cet. (cf. Lobeck Prolegomena p. 408 sqq.), quorum duo quidem boeot. *Μυκαληττός* et att. *Ὑμηττός* per *ττ* scripta exstant. Praeterea Caueri explicatio, *σ* in his vocibus ex *τ* (sine *j*) natum esse, eo in dubium vocatur, quod fere semper per *σσ* scribuntur.

Denique, ut in illa particula, in qua consonas *ν* + *dent.* + *j* conjunctas assimilatione in *σ* mutatas tractavimus, ita hic numerus adjectivorum nominandus est, in quibus *τj* + *voc.* non in *σσ* (*ττ*, *σ*) abierunt, sed *σι* + *voc.* in quibusdam dialectis exstitit. Quae sub num. 10 tractabo.

4. Σ ASSIMILATIONE EX *KJ* SEU *XJ* NATUM EST.

Hanc quoque assimilationem tractantes Ascolium sequimur (cf. p. 55 sq.). Cuius generis cum nullum certum exemplum inveniatur, in quo sibi *σσ* et *ττ* Atticum (sive Boeticum) non respondeant (cf. Ascoli, studj. critici II 420—23), etymologiae verborum, quae *σ* tantum praebent, minus probatae sunt putandae.

Cum voce *κίσσα*, cui respondet forma *κίττα*, Brugman (stud. VII 288) videtur jure comparasse sscr. *kikî*, *kikin-*, quorum notio fere eadem est; quibus fortasse cognatum est, quod per simplex *σ* scribitur *κίσινδις* (nomen avis cuiusdam; schol. Aristoph.). Cf. Fick (Bezz. beitr. I 173).

τρυσόν· νοσερόν, λεπτόν, ἀσθενές (Hesych.) huc referendum est, quia a verbo *τρῖχω* non potest sejungi (Benfey II 261). *τρῖσις* contra (*νόσος, πόνος* Hesych.) cum *τρύω* artius conjungendum videtur, cuius notio vix abhorret.

Ad *πίσυγγος*, ni fallor, recte lexicographi *πίσσα* comparaverunt, quod nunquam per simplex *σ* legitur.

Verbo *μάσσω, μάττω* „mando" (fut. *μάξω*) Curtius (stud. I a 242) *μασάομαι* (*μάσημα* cet.) addidit, quod interdum per *σσ*, nunquam per *ττ* scribitur. Quocum fortasse recte conjungimus Hesychianum *μασύντης* (*παράσιτος*).

Deinde huc refertur *νῆσος*, dor. *νᾶσος*, quod Curtius (Grz.[4] 320) ad formam primariam *νακ-ιο-ς* reduxit (Fick II 278; sed cf. Windisch K. Z. XXII 274).

νόσος, ion. *νοῦσος* nuperrime (stud. X 328) a Curtio tractatum est. Radix igitur videtur esse *naç, nąç* (cf. sscr. *nąçuka-* „perniciosus"). Qua nasali vocalium differentia explanatur.

Ad vocem *Διόνυσος* explicandam nuper nonnulla allata sunt; Wilamowitz-Möllendorf enim in recensione Caueri delectus Inscr. Graec. nos docuit, lectionem *Ζόννυξος* falsam esse, formam potius illius lapidis Lesbiaci esse *Ζόννυσος*. Deinde Benfey (Gött. abhandlgn. 1873) formam nativam *ΔιϜοννυκτjος* posuit, qua indicetur „filius diei et noctis". Quo veriloquio omnia, quae usque adhuc prolata sunt, superantur. Ubi igitur Bacchus *Νύσιος* eiusque filius *Νυ-*

σαῖος nominatur, haec nomina de altera parte significationis accepta sunt et significant „nocturnos“.

μαίσων (coquus Atheniensium) obscurae originis est; cum personam quoque coqui indicet, censuerunt viri docti, verbum ex nomine proprio histrionis cuiusdam ortum esse; sed fortasse radix *mik̓* voci subest (cf. *μίγνυμι*). Eiusdem stirpis videtur esse nomen propr. *Μαισά*.

Denique afferimus *κασαλβάζω*, *κασαλβάς*, *κασωρίς*, *κασαυρά*, quibus cum *σσ* scriptum respondet *κάσσα*. Ac videtur nobis quodam modo probabile inprimis propter significationem, quod Fick (II[3] 59) lit. *kekszė* comparavit; unde tamen nos non cum illo viro docto concludimus, formam Indogermanicam fuisse *kasyâ*, sed duplicem stirpem subesse, quarum ex altera *kak-ja* graec. *κάσσα*, ex altera *kak-sya* lit. *kekszė* prodierit. Non autem ignoramus, in differentia vocalium inesse difficultatem. Si igitur Benfey (II 151) recte radicem *kat* proposuit e linguis Asiaticis conclusam, Graeci vocabuli formam primariam *κατ-σα* ponimus et inserimus paragrapho 2.

5. *Σ* SERVATUM EST, QUOD ILLO TEMPORE, QUO ELIDEBATUR, NON VOCALEM, SED NASALEM ANTE SE HABUIT.

Huius partis duo genera discernenda sunt, quorum alterum ea vocabula continet, e quibus nasalis jam in Graecorum lingua communi amissa est, alterum ea, quibus dialectorum formae per nasalem scriptae comparari possunt.

δασύς, *δάσος* conjuncta cum lat. *densus* aut — si Brugmanum (nasalis sonans in der Indog. grundsprache. stud. IX) sequimur — *σ* propterea servaverunt, quia eo tempore, quo sigmatis elisio facta est, formam *dnsus*, *dnsas*, habuerunt, aut ex *δανσυς*, *δανσος* nata esse ducenda sunt. *σ* servatum hoc modo non minus quam illo explicatur, ideoque mihi dubium videtur, num adjectivum *δαυλός* „densus, hirtus“, nomina propr. *Δαυλίς*, *Ἐπίδαυρος* (Grz.[4] 232, Fick II[3] 132) recte a formis sigmaticis deducantur.

Contra alia nomina propr. eo modo explicari possunt non solum derivata et composita vocis *δασύς* ipsius, ut

Δασεάτας, *Δασύλλιος*, sed etiam alia et inter ea fortasse nonnulla, quae supra per suffixum *-σο* explicare conati sumus: *Ἔλασος* e. gr., cum e verbo *ἐλαύνω* stirps *ἐλαν-* conclusione effici possit, apud Pausaniam quidem invenitur per *σσ* scriptum; sed cum nomina propria hominum e compositis nata esse videantur (Fick, gr. personemnamen), nomina urbium tantum nominanda sunt, ut *Θάσος*, *Κάσος*.

Praeterea eius generis sunt formae stirpium nominalium in *-αν*, *-εν*, *-ον*: dat. pl. ut *μέλασι*, *ποιμέσι*, *δαίμοσι* cet.*)

Nomen urbis *Κνωσός* Hugo Weber (etym. untersuchgn. 23 sq.) a radice *knans* „fulgere" derivavit.

εἴσω, *ἔσω* secundum formam argiv. et cretic. *ἐνς* (Ahr. II 104 not.) ex *ἐνσ-ω* deducenda sunt.

ἄσιλλα (genus ferculi) propter significationem cum lat. *ansa* conferimus (cf. Benfey I 24).

6. Σ SERVATUM EST, QUIA EO TEMPORE, QUO ELISIO FACTA EST, (NON VOCALEM, SED) *P* (*Λ*) ANTE SE HABUIT.

θρασύς, *θράσος* cet. cum sscr. radice *dharš* (*dhṛšṇoti*), lit. *drąsùs*, *drįsti*, got. *ga-dars* conjungenda sunt. Si Brugmanum sequimur, qui putat linguae Indogermanicae *r* vocalem propriam fuisse (zur gesch. der stammabstufend. declin. stud. IX 363 sqq.), credendum est, eo tempore, quo *σ* elidebatur, formam *dhrsús* cet. pronunciatam esse; quod si non, formae *θαρσύς* cet. vetustiores putandae sunt, e quibus postea per metathesin *θρασύς* cet. nata sint; illa forma ad *ΘΗΑΡΥΜΑΚΗ*[*Ο*]*Σ* quoque illud (Curtius stud. X 223) explanandum sumatur necesse est.

Cum *τρασιά* (quae forma usitatior est, quam *ταρσιά*, cf. Siegismund stud. V 153) conjungo *ταρσός*, att. *ταῤῥός* „crates ad torrendum". Quibus e linguis comparatis respondet sscr. *tarš* „sitire", lat. *torrere*, got. *ga-thaírsan* „torrere".

πράσον idem ac lat. *porrum*; unde derivata sunt *πρά-*

---

*) Quorum suffixa *Ϝ* post *σ* habuisse creduntur; qua de re postea plura.

σινος, πρασιά, πράσῖον; praeterea nomina propr. Πρασιαί, Βου-πράσιον fortasse cum his conjungenda sunt. Contra nomina, quae in Batrachomyomachia leguntur, a poeta ipso ficta, Πρασσαῖος, Πρασσοφάγος, per duplex σ scripta sunt.

Deinde Fickio (II³ 236) debetur collatio adjectivi λάσιος „villosus" cum zd. *vareça-* „crinis", lit. *varsa-s*, slav. *vlasŭ* „crinis". Quocum vocabulo conjungenda videntur λασιών cet. (cf. Van. 935) et, ni fallor, composita quoque λασιαύχην „villosum collum gerens", λασί-μηλον (genus mali cydonici), quod a Jacobsio apud Athen. p. 82 *B* pro ἀρί-μηλον scribitur.

Eodem modo fortasse γράσων (·μωρέ, ἀνούσταττε Hesych.) explicandum est, quamquam etymologia nondum inventa est; contra, ni fallor, hoc verbum a γρᾶσος, γράσων (vd. supra p. 48) sejungendum est, quamquam γράσος a Hesychio (·δυσοσμία) cum α correpto scribitur.

dat. pl. ut τετράσι, πατράσι cet., cum secundum Brugmanum (l. l.) ad formas primarias cum *r* vocali scriptas referendi sint (cf. sscr. *pitṛšu*), hic omitti possunt (cf. p. 65).

βλασάμοιο apud Nicandr. Alexiphr. 64 vix est cur nominemus, quia a poeta ipso exemplaria vetusta imitante (θαρσύς praeter θρασύς) per metathesin e βάλσαμον fictum videtur (Siegismund stud. V 174.) Ceterum hoc verbum secundum Aug. Müller (Bezz. beitr. I 281) Graeci ex linguis Semiticis mutuati sunt.

Fortasse κρησέρα „cribrum", quod cum lat. *cernere* contulerunt (Benfey II 171; Van. 1088), metathesi quadam posteriore in hanc formam conversum est.

7. Σ EX ΣϜ NATUM EST.

Huiusmodi non invenitur nisi unum certum exemplum: ἴσσος et quae inde derivata sunt; ex formis dialectorum γισγόν· ἴσον, lac. βίωρ· ἴσως, hom. ἐΐση (scil. ναῦς cet.) [cf. praeterea, quae Fick I³ 787 contulit: ἴσσος· γαλήνη et got. *visa* n. id.] Curtius (Grz.⁴ 382) stirpem fuisse ϝισϝο conclusit, cui sscr. *višu-* et *višuvam* comparari possint. Eiusdem stirpis sunt αἶσα, αἴσιμος, αἴσυλος (Clemm stud. III 300 sqq.) cet., cf. αἰσυμνητήρ cet. (Van. 664).

Alia eiusmodi exempla incerta sunt, sic fortasse *σείσων* (vas ad fabas quassandas) ex *σεισϝων* (cf. *σείω* p. 10) natum est; sed rectius paene, ut hoc vocabulum explicemus, ad formas verbi *σείω* sigmaticas recurrimus, praesertim cum in Pollucis lexico tantum traditum sit.

Praeterea e vetere *σϝ* a Boppio (vergl. gramm. II 62) *ἥμισυς* explanatum est; ut enim in lingua zdca inveniuntur *thri-śva-, catru-śva-* „triens, quadrans", sic Bopp *ἡμι-σϝο-* posuit. Cui tamen, quod dixit, suffixa accusativi zdci *thri-śûm* et graeci *ἥμισυν* paria esse, consentire non possumus, quia *σ* servatum non expeditur nec vocalis producta ad formam Graecam quadrat. Fortasse igitur forma nativa fuit *ἡμιτϝο-* (cf. p. 68 sqq.).

Iam vero summa difficultas oritur; cum enim ex praecedentibus effici videatur, *σϝ* inter vocales posita non elidi, in aliis formis, quae quondam *σϝ* videntur habuisse, *σ* extritum est. Atque primum quidem sec. pers. med. imper. et temporum historicorum afferendae sunt; in quibus difficultas eo augetur, quod aliae formae *σ* servaverunt, aliae extriverunt. Quam ad solvendam opus est, ut omnia exempla formationis adgeramus*) (cf. Curtius Verb. I[2] 89)

Verborum in *-μι:*

ἵστασο, ἵστασο (*ἵστασαι*); apud tragicos etiam *ἵστω* legitur.

ἐτίθεσο, τίθεσο (*τίθεσαι*); *τίθου* bis (Aesch. Eum. 217, Machon apud Ath. VIII 341 B)

ἐδίδοσο, δίδοσο (*δίδοσαι*)

ἐδείκνυσο, δείκνυσο (*δείκνυσαι*)

praeter *ἐπίστω* apud poetas Atticos legitur *ἐπίστασο*; *ἐπίστασαι* est usitatius quam *ἐπίστῃ*

δύνῃ raro invenitur, *δύνασαι* apud poet. et post.

imperf. *ἵεσο*, imper. *ἵεσο* et *ἵου* (*ἵεσαι*), ind. aor. *ἀφ-εῖσο* (imper. *ἀφ-οῦ* O. R. 1521, *ἕξεο* Hdt. V 39)

κεῖσο, ἔκεισο (*κεῖσαι*)

ἧσο, ἧσο (*ἧσαι*); *κάθησαι*, sed etiam *κάθῃ*; *κάθησο* praeter *κάθου*; *ἐκάθησο* et *καθῆσο*.

---

*) Cur in hoc conspectu semper formas indicativi respondentes adscripserimus, postea elucebit.

perfecti:
λέλυσο, ἐλέλυσο (λέλυσαι) cet.
Contra semper:
conj. praes. ἱστῇ, τιθῇ, διδῷ cet.
opt. praes. ἱσταῖο, τιθεῖο cet.
ind. aor. ἔθου, ἐπρίω, ἐδύνω, ἐπίστω cet.
conj. aor. θῇ, δῷ cet.
opt. aor. θεῖο, δοῖο cet.

et omnes formae verborum in -ω praeter ind. et imper. perf., plusqu. σ eliso.

Ad has formas ex dialectis addo:
imper. ὄνησο (Hom. τ 68)
(ind. ὄνοσαι ρ 378)*)
(ἐκρέμω O 18; 21)*)
κεῖσαι T 319

apud Epicharmum (fragm. 121) Ahrensius (II 318; 349) μῶσο mavult quam μώεο, quod scribitur; contra
ἐπρία apud Epich. 93 (Ahr. II 318); Aristoph. (Acharn. 870) Boeotum πρίασο loquentem facit, cum Atticorum plerumque sit πρίω.

Apud Homerum invenimus δαίνυ (pro δαίνυο) praeter δαίνυσο; cf. δαίνυσαι et κεῖσαι, ἐπίστασαι.

Praeterea formae Homericae Atticis plerumque respondent.

Iones dicebant: δύνεαι, ἐπίστῃ, sed (Anacr. VII 11) δύνῃ;
Dorum (Pind.) est tam ἐπίστᾳ quam ἐπίστασαι.

Apud posteriores formae cum σ formatae frequentiores leguntur, e. gr. in N. T. καυχᾶσαι, ὀδυνᾶσαι, ἀποξενοῦσαι cet.

Ex his omnibus nihil aliud censeo colligi, nisi σ harum formarum non e regula phonetica servatum esse; quam ad sententiam eo potissimum adducimur, quod dialecti non semper inter se congruunt et quod in singulis dialectis diversae formae scribuntur; vix enim dubitari potest, quin sigmatis elisio in Graecorum lingua communi facta et perfecta sit. Formas igitur numero aut perspicuitate prae-

---

*) Hae formae fortasse non vocalem, sed consonam (σ) ante terminationem habebant.

valentes ex analogiae ratione in alias translatas esse credimus; ac posterioribus temporibus formae per σ scriptae saepius usurpantur, quam prioribus (*ἀκροᾶσαι, στεφανοῦσαι*). Praeterea *-σο* non ex regula phonetica conservatum esse, ex eo quoque concludamus necesse est, quod formae cum *-σο* et *-σαι* ponendae, sive σ servaverunt sive amiserunt, mira sibi ratione respondent; videtur enim utrisque formis causa conservationis fuisse eadem; *-σαι* autem non e legibus phoneticis in *δύνασαι* cet. potest servatum esse (cf. sscr. *bharase* cet.). Regularem ergo hic fuisse elisionem verisimile est, quo numerus exemplorum multo major explanetur; quae obstant, cum Osthoffio (verbum in der nominalcompos. p. 343 sqq.) assimulata esse censemus formis stirpium in consonas excidentium. At dicat quispiam, sonum digammi varium, tum acriorem tum leniorem, fuisse. Sed cum suffixum in omnibus formis idem sit, nescio quomodo haec varietas possit demonstrari; nam neque accentus, neque differentia vocalium ad eam statuendam sufficit (cf. p. 39). Ceterum Osthoffius formam suffixi non, quod plerumque fit, *-sva*, sed *-sa* supponit. Et revera illud *-sva* non satis comprobatum esse censentibus testis nobis quam gratissimus est Schleicher, qui in compendii p. 688 formas Indogermanicas secundariam *-sa*, imperativam *-sva* (?) sumpsit. Cum enim forma imperfecti cum nulla alia praeter formam zendicam possit comparari (formae sscr. et got. nimirum prorsus diversae sunt), quis contendat, in lingua Graeca suffixum *-σϝο* ponendum esse? Si autem haec forma quondam *-σο* fuit — et eam esse non potuisse, vix demonstrabitur — potest putari, formam imperfecti in formam imperativi esse translatam.

Sed restant, quae σ e σϝ natum non servaverint, ea quae supra (p. 44) enumeravimus, vel potius, postquam ea detraximus, quae aliam explicationem admittunt, adjectiva ut *αἰπήεις, ἐρευθήεις* et part. perf. *κεκοτηώς, κεκορηώς*. Quam difficultatem profitemur, nos non posse solvere; fortasse autem ϝ in diversis suffixis diverso modo tractatum est, cuiusmodi differentiam in alia particula huius commentationis (p. 73 sqq.) nos demonstrasse speramus.

Denique nonnulla disserenda sunt de dativis (accuratius: locativis) plur. in *-σι*. Et Osthoffium quidem eandem rem tractantem sequi non possumus. Putat enim ille vir doctus formam suffixi Indogermanicam fuisse *-su*, quae etiam linguae Graecae primo propria postea altero suffixo *-σι* compensata sit. Nos suffixi formam Graecam, quod plerumque fit, ponimus *-σϝι*, quae artius cum suffixo zd. *-šva* (*-hva*) cohaerere videtur. Cuius suffixi *σ* servatum est in omnibus eiusmodi formis; nonnullae formae habent *σσ*, quod ex *σϝ* assimilatione natum potest esse: *νέκυσι* (*νέκυσσι*), *πόλισι*, *οἰσί*, *βασιλεῦσι*, *βουσί*, *ναυσί* (saepe vocalibus disturbatis: *πόλεσι*, *ἄστεσι* cet.); *Ὀλυμπίασι*, *Ἀθήνησι*, *θύρασι*, *δράχμησι*.

8. QUAERITUR, NUM Σ EX ΣJ NATUM CONSERVETUR.

Hanc assimilationem usque ad haec novissima tempora tria exempla monstrare videbantur: *πτίσσω*, *νίσσομαι*, *ἀήθεσσον* (Grz. 652 sq.). Nuper autem Osthoffius (l. l. 339) *πτίσσω* in formam primariam *πτινσjω*, *νίσσομαι* in *νι-νσ-jo-μαι* reduxit. Quorum hoc cum *γί-γν-ο-μαι*, *ἴ-σχ-ω*, *πί-πτ-ω*, *μί-μν-ω* comparatur, nec nos videmus, quid rei obsit; *πτίσσω* autem secundum Osthoffium duplex signum temporis praesentis proprium habet, qua in re nihil miri est, nam lat. *pinso*, quod idem significat et eiusdem est originis, eandem formationem praebet. Tamen mihi haec explicatio dubia videtur, quia forma *πτίττω* non deest (cf. Ascoli, studj critici II 444). Ascoli quidem ex regula *σσ* (et *ττ*) ex *σj* nata esse putat. Sed censeam potius, quia non intellego, quo altero modo haec variatio formarum possit explicari, dentalem (seu gutturalem) subesse. *σσ* enim ex *σj* natum mutari posse in *ττ*, contra Ascolium ex ipsius sententia plane denegamus, quia cum eo credimus, *σσ* illud ex *dent.*, *gutt.*, (*lab.*) + *j* ortum ab unoquoque alio *σσ* fuisse diversum, et ex hac diversitate permutationem in *ττ* deducimus. Quod Ascoli aliud eius generis exemplum: *λύσσα* (*ττ*) e *λυσjα* affert (cf. sscr. *ruš* „irasci“), ex eadem causa nobis fidem non fecit. Cum igitur haec omnia in-

certa sint, cum Ὀδυσσεύς nisi arbitrio in formam primariam Ὀδυσjευς non reducatur (cf. Roscher stud. IV 196 sqq.), cum quod unum restat, ἀήθεσσον (cf. Grz [4] 653 not.), non pro certo ex forma primaria ἀηθεσjον derivari possit, cum denique σj tam saepe elidi constet (cf. p. 43), nos extrusionem consonarum σj pro certa lege habemus, neque ex hac consonarum conjunctione σ futurorum verborum in vocales cadentium explicare velimus, δώσω non ex δωσjω ita, ut j ad spirantem σ attractum sit. Atque adeo nobis nulla alia explicatio superest, quam quae jam ab Osthoffio (l. l. 337) proposita sit: futura verborum in consonas desinentium insigni sua formatione ita praeponderabant, ut σ, quo excellebant, etiam ceteris formis conservaretur (sive restitueretur). Ponimus igitur plures formas numero formarum minore infectas esse. Sed haec explicatio eo fulcitur, quod aoristi verborum in vocales excidentium, quod postea demonstrabimus, nullo alio modo illustrari possunt.

9. Σ EX Τϝ NATUM EST.

Jam Froehde (K. Z. XXII 263) verbum σείω ex τϝειω derivavit (cf. p. 9 sq.) et plura exempla huius mutationis attulit, Ascoli (studj critici, deutsch von Merzdorf u. Manggold p. 338 sq.) eandem legem constituit; nos hanc assimilationem ex regula accidere putamus in quibusdam dialectis. Quas ad definiendas nonnulla vocabula apta sunt: pronomen secundae pers. singulare et nomen numeri quarti:

Dores omnes formas pronominis secundae pers. per τ incipientes pronuntiabant (cf. Ahr. II 248 sqq.);

haud aliter formae Boeoticae semper τ praebent (Beermann stud. IX 73);

formae Lesbiorum usitatae videntur fuisse hae: nom. τύ, gen. σέθεν, dat. σοί (sive σοῖ cf. Ahr. I 124), acc. σέ. Quae praeterea afferuntur, non vero leguntur, formae encliticae τοί et τέ, non magnam fidem habent, et acc. quidem nisi conjectura ab Hermanno (cf. Ahr. l. l.) non positus est;

formae Herodoteae omnes a σ incipiunt praeter unum dativum encliticum τοί;

formae Atticae omnes per σ scribuntur;

formae Homericae usitatae σύ, gen. σέθεν, σεῖο, σεῦ (cf. Cauer stud. VII 105), dat. σοί, enclitice τοί, acc. σ'.

Pronominis sec. pers. possessivi formae sunt: dor. τεός (in Et. M. praeterea τός affertur), boeot. τιός relatum ab Apoll. 35, lesb. τεός et σός (Ahr. I 126), Hdt. σός, att. σός, Hom. σός et τεός (utrumque saepissime occurrit).

Pronominis igitur possessivi tres dialecti duplicem formationem praebent (si Et. Magno formam τός afferenti fidem habemus), quod eo natum esse censeo, quod Graeci duplicem formam *tavas* et *tvas* ex lingua Indogermanica acceperunt, quarum alteram lingua sscr. (*tava-*), alteram zd. (*thwa-*) conservavit. Haud aliter nonnullas formas dialectorum pronominis personalis ad eandem stirpem *tava* referendas esse censeo ideoque supra omisi, ut Hom. τεοῖο (Θ 37. 468), τεΐν (quinquies; cf. Cauer l. l.). Praeterea excludo formas nominativi, quia in iis τ consonam non ϝ, sed υ subsequitur; nam hunc nominativum accuratius cum lat., lit., slav., got., celt. conjunctum formam primariam habuisse **tu* credo. Ex iis autem formis, quae ab initio per *tv* incipiebant, legem phoneticam possumus efficere, ut pro *tv* + *voc.* in dialectis Dorica et Boeotica τ, in Aeolica et Jonica Atticaque σ exspectandum sit*).

Quae lex confirmatur formis numeri quarti, qui apud Dores τέτορες (Ahr. II 279), apud Boeotos πέτταρα (Beermann stud. IX 66), apud Lesbios πέσσυρες, apud Herodotum τέσσερες, apud Atticos τέσσαρες (ττ), apud Hom. πίσυρες (quae forma ex Aeolica dialecto sumpta est) et τέσσαρες scribitur. Nam nisi quod inter vocales duplex consona plerumque pro simplici invenitur, hae formae illis formis pronominis respondent.

Praeterea eadem ratione explicantur adject. in -συνος

*) Fortasse formae encliticae ab initio non per τϝ, sed per merum τ incipiebaut (cf. formam Sanscriticam encliticam *te* a ceteris abhorrentem; nam gen. *tava* rectius cum stirpe pronominis possessivi conjungitur).

et subst. fem. in *-συνη*. Cui suffixo respondet in lingua sscr. vetustiore *-tvana*, cuius formationis exempla Vedica contulit Lindner (l. l. 135). In lingua Graeca quidem hoc suffixum multo saepius ad nomina formanda usurpatum est (cf. L. Meyer II 542 sqq.).

ἥμισυς, cuius unam explicationem supra (p. 62) attulimus, ex **sâmi-tva-s* pro certo derivare non andemus.

ἥσυχος, dor. *ἅσυχος* Ebel (K. Z. V 67) in formam **âs-tva-ka* reducere conatus est, cum diceret, *s* ad spiritum asperum attenuatum in initium verbi translatum esse; quod si rectum esset, *-tva-* in *-συ-* abiisset ut *-tvana-* in *-συνο-*. Sed cum intellegi non possit, cur *σ* ante dentalem non servatum sit, cuius rei exempla sunt *ἐσ-τέ*, *ἧσ-ται* cet., alia explanatio requirenda est. Ac Benfeyus (wurzell. I 418) radicem *ἡσ-* putat per suffixum *-υχο-* esse auctam; sic autem nec percipitur, cur *σ* sit servatum, nec suffixo *-υχο-* ipsi magna probabilitas inest; cuius exempla alia afferre studuit Lobeckius (proleg. 339). Quorum vocabulorum pars, cum veriloquia minus dilucida sint, nihil demonstrant; deinde *ἀλυχή* non legitur nisi conjectura, *ἀμυχή* spectat ad verbum *ἀμύσσω* ita ut de suffixo *-υχη-* non possit cogitari, *βό(σ)τρυχος* denique tempore recentiore propagatum videtur a stirpe *βοτρυ*, quam praebet *βότρυς*. Sic res in suspenso remanet, nam quae ipse ad eam illustrandam afferam, vereor, ne irrita fiant. Quod enim verbum a Benfeyo cum radice *ἡσ* „sedere" conjunctum est, nobis tenendum videtur, praesertim cum *ἥμερος* ex eadem deductum videatur (Grz.[4] 381); quid igitur, si hanc radicem propagatam esse credamus per suffixum *-su-*, cuius formae Vedicae leguntur apud Lindnerum (l. l. 112)? Quod si conceditur, tota forma explicatur aequatione

**ἡσ(σ)υ-: ἥσυχος = βοτρυ-: βότρυχος.*

Denique nescio, num statuendum sit, etiam *ϑϝ* in dialectis Jonicis et Lesbiaca abire in *σ*, quemadmodum *τj* et *ϑj*, *κj* et *χj* pari modo in *σσ* commutata sunt. Cuius mutationis unum exemplum esse videtur: *πίσῦνος*, quod L. Meyer (II 243) ex *πιϑ-ϝανο-* natum facit. Sed ex *πιϑ-τϝανο* eandem formam nasci necesse erat.

Restat, ut denegem, Indogerm. *tu-* in lingua Graeca immutari in *συ-*, cuius rei in nulla dialecto exempla certa inveniuntur; contra plurima contrarium demonstrant; cf. *τύλος* cum lat. *tumeo* (Grz.[4] 225), *βοητύς* cum lat. *bovâtus* (Fick II[3] 178), *πίτυς* cum sscr. *pîtu-dâru-* (Fick II[3] 150). *πλατύς* et lit. platùs (Grz. 279), *αὔτυρον· ὕαλον* (Hesych.) cum sscr. *vith-ura-* (Fick I 219), *ἀρτύω* cum sscr. *ṛtu* (Fick I 20) multa alia.

Nobis igitur in nonnullis verbis *-συ-* alio modo, atque hucusque fieri solebat, explicandum est. Ac primum quidem Atticum Jonicumque *σύ*, si recte formam primariam *tu*, non *tva* posuimus, ita natum potest esse, ut loquentes incongruentes consonas incipientes vocabula *τύ* et *σοῦ, σοί, σέ* evitare studerent; ad quod approbandum eo magis adducimur, quod apud Aeoles, quorum eandem legem propriam fuisse docuimus, forma *τύ* servata est et genitivo *σέθεν* cet. casibus respondet.

ἀήσυρος (apud Aesch. et in Anth. Rh. legitur; lexicographi explanant verbis *κοῦφος, ἐλαφρός*) a Fickio (I[3] 203) cum sscr. *vâtula-* „ventosus, ventus" comparatum est, quod nobis etiam propter variationem liquidarum dubium videtur. Curtius contra cum Goebelio (stud. I[b] 296) *ἀή-σ-υρο-ς* sic quadripartitum scripsit, ita ut *σ* sit augmentum radici additum, cum Grz.[4] 538 tripartitum scripserit *ἀή-συρο-ς*, ita ut suffixum quoddam *-συρο-* ponatur. Videtur nobis haec vox, si non ex formis verbi *ἄημι* sigmaticis, explicari non posse (cf. p. 83).

Quod *οἰσύα* a Fickio (II[3] 239) ex forma primaria *ϝοιτυα* derivatur, probare non possumus; credimus potius, cum radicem *ϝιτ* jam supra (p. 52) constituerimus, hic quoque suffixum *-συ-* sumendum esse.

βασυνίας (scil. *ἄρτος* Athen.) explicare nescimus.

10. *ΣΙ* NATUM EST EX *ΤΙ*.

Haec quoque lex quibusdam tantum dialectis attribuenda est, quas ad definiendas primum ea exempla segregamus, in quibus ante *τ* nasalis posita erat.

Ac *ντι* in *νσι* (cuius nasalis in singulis dialectis sin-

gulari modo tractata est) mutata cognoscimus in omnibus dialectis Jonicis, in dialecto Lesbiaca*), Arcadica Cypricaque (cf. Schrader stud. X 264). Cuius mutationis exempla vix afferri possunt praeter tert. pers. pl. ut *ἔχουσι* (att. -ion.), *κρύπτοισι* (aeol.), *κελεύωνσι* (arc.), *ἔξο·σι, ἴω·σι* (cypr.). Cuius generis praeter ea, quae supra (p. 55 sq.) tractavimus, propagatum afferre possum *πυγούσιος*, quod ad explicandum G. Meyer (K. Z. XXII 492) stirpem *πυγοντ-* sumpsit (cf. L. Meyer II 442). Contra unam exceptionem omnibus dialectis communem affero: *ἀντί*; fortasse haec accentu effecta est, nam videtur hoc vocabulum secundum sscr. *anti* ex lingua Indogermanica acceptum.

Alterum genus huius mutationis id est, ubi vocalis ante *τι* posita erat; in quo non minus dialecti Jonicae, Lesbiaca, Arcadica (*τριακόσιοι* cf. Schrader l. l. 277) et, ni fallor, Cyprica conveniunt. De hac ut primum pauca dicamus, nom. propr. *Ὀνάσιλος*, *Ὀνασίϝοικος*, *Στασιϝοίκων*, *Στασικράτης* cet. afferri possunt (cf. inscriptiones a Deecke-Siegismund collatas stud. VII 234 sqq.); quae praeterea exstant: *βασιλεύς*, *κασίγνητος*, *ἀνόσιος* aut non satis perspicua sunt aut ex aliis dialectis accepta esse videntur. Denique id memoratu dignum est, quod, cum in ceteris dialectis non in *σ* commutari videatur nisi *τ* illud, cui respondet indog. *t*, in dialecto Cyprica etiam *τ* natum ex indog. *k* in *σ* immutatum est, cuius mutationis unum quidem exemplum *σίς* (tab. Idal.), *σί* (Hesych: *σί βόλε· τί θέλεις Κύπριοι*) praesto est**).

Exempla huius legis sunt:

a) singula quaedam:

εἴκοσι, dor. *ϝίκατι* (sscr. *viçati*, lat. *viginti*)

---

*) Post *ν* Boeoti *τ* consonam in *ϑ* commutant, quod tamen, ni fallor, antecedenti *ν*, non sequenti *ι* debetur, cum hoc *ϑ* etiam ante *ο*, *ω*, *αι* inveniatur (cf. Beermann stud. IX 62); praeterea haec assimilatio progressiva temporibus multo posterioribus videtur attribuenda, cum *ἐντί*, *ἀπεγράψατο* adhuc in inscriptionibus legantur.

**) Quae ab altera parte stant: *Τιμοχάριϝος* (D. S. n. VIII), *Ἐχετίμων* (D. S. IX) fortasse propterea non immutata sunt, quia vocalis *ι* in iis producta usurpatur.

πέρυσι(ν), dor. *πέρυτι* est locativus eiusdem stirpis quam praebet sscr. *parut.*

Exceptiones huius mutationis non desunt; cf. *ἔτι* et sscr. *áti*, *ἐγκυτί* et lat. *cŭtis*, sed has explicare, quod opus difficillimum videtur, non hic nostrum est.

b) tert. pers. sg. *εἶσι*, *φησί*, *ἠσί* (dor. *φατί* cet.).

c) nomina actionis in *-σις* cadentis et quae de iis deducta sunt: *βάσις*, *θέσις*, *αἵρεσις* cet. (L. Meyer II 327 sqq.); *αἱρέσιμος*, *ἁλώσιμος*, *βιώσιμος* cet. (ibid. 621 sq.), *νεμεσίζομαι*; huius formationis nonnulla exempla affero, praeter quae nomen actionis respondens non legitur: *πλώσιμος*, *θηράσιμος*, *ἱππεύσιμος*; *θνησιμαῖος* (de bestiis mortuis); *εἰρεσίη*, (Hom.) *ἐπισχεσίη* (Hom.), *εὐεργεσία*, *συνθεσίη* (Hom.), *ὑπερβασίη* (Hom.), *ἐκκλησία*; *γνήσιος*.

Eodem suffixo quo nomina actionis compluria alia vocabula formata sunt, quod in lingua sscr. non rarum est (cf. Lindner l. l. 76); quorum unum pro certo *τ* in *σ* mutatum praebet: *πόσις**). Quocum ex optima etymologia, quae adhuc prolata est ad hoc vocabulum illustrandum, Fickii (K. Z. XXI 462 sqq.), conjungimus *Ποσειδῶν*; comparavit enim vir doctus Vedicum *iḍaspati* „dominus undarum" et contendit vocem Graecam ex iisdem stirpibus ordine perverso compositam esse, quod si probatur, formae dialectorum e compluribus formis primariis explicandae sunt. Fortasse autem rectius putamus, Graecos illa ratione vocum transformandarum usos esse, quam „volksetymologie" appellamus. Qui si notionem domini inesse crediderunt — nec de vocibus *οἰδάω*, *οἶδμα* cogitare fuit difficile — priorem partem formae vocis *πόσις*, quamcunque adhibebebant, levi opera assimulaverunt: Homerus igitur prae-

---

*) A Benfeyo (W. II 166) et Fickio (stud. VIII 313) huc *κάσις* quoque refertur, cuius propriam significationem uterque vir doctus „venter" esse dixit, qua ratione vis propria compositi *αὐτοκασίγνητος* optime explanatur. Tamen formam primariam *κατι-* fuisse contendere non audemus. Quibus fortasse adserendum est, nisi primo significatio nominis actionis inerat, *κίβισις*, cuius formae Hesychianae *κύβισις*, *κύβεσις*, (*κυβησίαν*), *κυβισίς* (*κήλη* i. e. „tumor") comparandae sunt.

bet *Ποσειδάων*, Arcades *Ποσιδᾶνος*, *Ποσειδῶνος*, *Ποσοιδᾶνος*, Jones Atticique *Ποσειδῶν*, Dores contra *Ποτιδάν*, *Ποτειδάν* (Pindarus solus habet formas per *σ* scriptas praeter eas quae Doribus communes erant). Apud Alcaeum (26 Bergk) legitur *Ποσείδαν*; *Ποτίδαν*, quod saepius traditur a grammaticis (cf. Ahr. I 123 not. 8), fortasse Boeotorum est forma.

E nomine actionis *εἰρεσιώνη* formatum esse censemus. Quod enim in lexicis legitur primam partem vocabuli esse eiusdem stirpis ac *τὸ εἶρος* „lana", quippe cum surculi lauri sive oleae lana redimiti et deinde fructibus ornati sint, quod casu cum re conjunctum erat, pro re ipsa habitum videtur. Habeo potius *εἰρεσι-* stirpem nominis a verbo *εἴρω* „sero, annecto" deducti, cui suffixum *-ωνη* (cf. *νί-ωνός*, *νί-ωνή*; *κορ-ωνή*) additum sit.

φυσίκιλλος (genus panis; Benf. II 105) difficile est ad explanandum, quia nescimus, num revera, quod Athenaeus tradit, forma Laconica putanda sit.

Cur in hac formatione saepius *σ* inveniatur, ubi propter consonam antecedentem *τ* ut servatum sit exspectamus (cf. *κάταξις*, *τάραξις*, *κλεῖσις*, *κόλασις* cet.), non hic nostrum est disserere neque aliud quidquam proferre possumus, quam quae Osthoffius (verbum p. 173) de hac re exposuit.

Etiam quomodo haec nomina actionis in compositionibus adhibita sint, Osthoff l. saepius l. demonstravit; cuiusmodi exempla affero *ἀγησί-χορος*, *δοκησί-σοφος*, *δωσί-δικος*, *εὑρησί-λογος*.

Cui numero compositorum inserendum videtur *βασιλεύς* quoque, sive Curtii sive Kuhnii explicatio probatur (cf. Grz.[4] 364), nam uterque in priore parte stirpem *βασι-* agnoscit, e qua nomen *βάσις* fictum est. In dialectis Doricis nimirum *βατι-λευς* exspectandum est, quae forma nusquam invenitur. Cum autem altero nomine reges Spartanorum *βαγοί* nominati sint (Schömann griech. altert. I 232), fortasse hoc solum nomen Lacedaemoniorum genuinum habendum est et forma *βασιλεύς*, ubicunque apud Dores invenitur, ex aliis gentibus illata.

Pagina 55 exposuimus, quomodo suffixum feminінale -ιᾰ per assimilationem ι amittat, suff. fem. -ιᾱ et adject. -ιος, -ια, -ιον semper ι servent. Cuius regulae pars prior valet etiam, ubi τ, ϑ consonam nasalis non antecedit, cum, quod videam, τ(ϑ) + *suff.* ιᾰ semper assimilatione in σσ (ττ) abeant (cf. supra p. 56 sq. et quae Ascoli affert in parte Studiorum Criticorum illa, quae inscribitur „saggi Greci"). Contra eae voces, quae plenam illam assimilationem non ostendant, sed non mutent nisi τ in σ in dialectis supra collatis, excidunt in -ᾱ (-η); quorum affero ἀμφασίη (Fick II³ 162), ἀρτεμισία (nomen herbae cuiusdam), ἀνδροκτασίη, ὑποσχεσίη, ἀγνωσία, ναυσία (saepius ναυτία), ἱκεσία, κυνηγεσία (cf. L. Meyer II 485); radix est obscura vocis καυσία (v. supra καίω p. 16); alia eiusmodi nominavimus p. 71. Per σσ scriptum ex dialectis attulit Baunackius (stud. X 123) ἱμασσίαν. Aliud genus huius formationis accentu et notione differens rarum est: αἱμασιά „spinetum" (cf. αἷμος „quercetum, ilicetum") et, quod omnino sejungendum videtur, πρασιά (p. 61); sunt haec collectiva (cf. ἀνθρακιά, μυρμηκιά, σποδιά.)

Cum autem adjectiva -ιο suffixi ope formata ea, quae nasalem ante τ (ϑ) habent, nunquam plena assimilatione formentur (cf. Ἀχερούσιος cet. p. 55), nonnulla exempla, ubi de iis adjectivis agitur, in quibus nasalis dentalem non antecedit, alio modo explicari non possunt, quam ut dicamus, σσ (ττ, σ) in iis e τ, ϑ + j natum esse; sunt ὅσος, πόσος (κόσος), τόσος, μέσος et fortasse ῥυσός. Quibuscum si comparamus πλούσιος dor. πλούτιος, ἐνιαύσιος dor. ἐνιαύτιος, γνήσιος, ἀμβρόσιος, differentia formationis conspicitur. Quam ad explanandam fortasse juvabit, Sieversii (Paul u. Braune's beitr. V 129 sqq.) legem, quam de suffixo Indogermanico -ἰa posuit, perquirere; cum enim ille vir doctus docuerit, in diversis linguis Indogermanicis ἰ suffixum vario modo tractari, sive producta sive correpta syllaba antecedat, fortasse hac differentia quantitatis formationis differentia nostra explanari potest. Ne autem in hac disquisitione exempla admittamus, quae recentioris originis sunt, ea colligere necesse est, quibus vocabula eius-

dem formationis in linguis Indogermanicis respondent, i. e. ea, quae ex lingua Indogermanorum vetusta in Graecam translata esse constat. Sed exempla tam rara sunt, ut iis quoque adhibitis, quae alio genere assimilationis formata sunt ut *καλός*, nihil pro certo efficere possimus.

κᾰλός (Grz.^{4} 170)	sscr. *kalyas*
μέσσος	sscr. *madhyas*
ἄλλος	lat. *alius*
πεζός (Fick II^{3} 156)	lat. *acu-pedius* sscr. *padyas*
aeol. *κέννος*, hom. *κεινός*, att. *κενός*	sscr. *çûnyas*
πόσσος (*κόσσος*)	sscr. *kati* lat. *quot*
neque aliter *τόσος*, *ὅσος*	
γνήσιος	sscr. *jâtya*
ἀμβρόσιος	sscr. *a-martya*
ἀντίος (Fick II^{3} 17)	lat. *antiae*
ἐμετήριος (Fick II^{3} 246)	lat. *vomitorius*

Quoad constat ex his paucis exemplis concludere, lex videtur ea esse, ut assimilatio non fiat, ubi ante *ι* syllaba producta posita sit. Quod ad confirmandum, de singulis pauca dicenda sunt. Ac primum quidem exempla omnia, in quibus assimilatio facta est, revera brevem syllabam ante *ιο* videntur habere; quod quidem unum restat adjectivorum per assimilationem formatorum supra non allatum (cf. p. 53) *ῥῡσός* (Benfey II 317 *ῥυσσός?*), productam habet syllabam priorem, quo tamen res non labefactatur; cum enim hoc vocabulum cum *ῥῠτίς* conjungatur, verisimile est, productum *υ* adjectivi non esse primitivum; denique haec etymologia non sine dubitatione poni potest. *Κενός* deinde propterea non exclusimus, quia nobis persuasum est, hoc adjectivum etiamsi fortasse non totum quadrat ad verbum sscr., tamen vetustissimae originis esse; quae sententia confirmatur formis dialectorum, ex quibus formam primariam a vocabulo sscro aliquantum abhorrentem *k̓anyas* fuisse concludo. Praeterea ex iis

adjectivis, quae ex altera parte stant, *ἀμβρόσιος* methathesi ex **amortios* natum esse concedatur necesse est, cum forma adjectivi simplicis primaria *μορτό-* apud Hesychium varie tradita sit et apud Callimachum adhuc legatur. Adjectivum deinde *ἅγιος* (Arist. Av. 522; Callim. hymn. IV 275), nisi duas formas in se uno continet (cf. sscr. *yajya-* cum *yâjya-s* „sacrificii dominus, carmen sacrificantium"), non sic e lingua Indogermanica videtur acceptum, sed in Graeca ipsa e nomine *ἄγος* esse formatum, nam apud Homerum et tragicos nondum invenitur, qui ad eandem rem significandam *ἁγνός* usurpant. Denique verbum *ἅζομαι* ex *ἁγjομαι* natum est per assimilationem. Quae exempla praeterea *-ιο* post brevem vocalem ostendunt, originem recentem plerumque prae se ferunt. Nos ex Alyi dissertatione (de nominibus *-io* suffixi ope formatis pp. 6 sqq., 29 sqq.), quae huc referenda sint, enumerabimus, et, si quid ad explicationem nobis praesto est, adjiciemus, nonnulla alia adseremus:

διαπρύσιος plerumque cum rad. *περ* in *διαμ-περ-ές* conjungitur (Grz.[4] 705), et Siegismund quidem (stud. V 177) e forma *δια-περτιος δια-πυρ-τιος, δια-πυρ-σιος, διαπρύσιος* putat nata esse, via nimirum longa et difficilis. Fortasse autem erat *δια-πρυ* forma Aeolica praepositionis Homericae duplicis *δια-πρό*, cuius significatio est „penitus" et ex hoc composito, quod adverbii locum tenuit, per suffixum *-τιο* adjectivum formatum est, ita ut haec formatio a formatione adverbiorum *πρόσω* et *ὀπίσω* (p. 57) non differat nisi eo, quod haec plenam assimilationem praebeant, illud, quia recentioris est originis, non immutatum sit nisi, quae dicitur, assibilatione. Quae explicatio, non refellitur eo, quod forma praepositionis *πρυ*, quantum video, omnino non traditur; hoc enim non mirum est, quia *υ* pro *ο* apud Aeoles non invenitur nisi in vocibus, quae plus una syllaba constent (Ahr. I § 12, 7); quomodo autem *πρό* et *δια-πρυ* putamus variasse, eo revera in illa dialecto variant *τό* et *τύτε*, nam hanc formam injuria censemus ab Ahrensio in dubium esse vocatam; ceterum voces *πρύτανις* et *πρυτανήϊα* (Ahr. II 84) praepositionis formam *πρυ-* praebent.

διφάσιος, *τριφάσιος* cet. Joh. Schmidt (K. Z. XVI 431) ita comparanda esse censuit cum lat. *bifarius*, *trifarius* cet., ut putemus, haec e Graeca lingua deprompta postea rhotacismo transformata esse, quorum ex analogia denique *multifarius* constructum esset. Qua ex sententia formae primariae *διφατιος*, *τριφατιος* ponendae sunt (cf. *Καφάτιος* praeter *Καφάσιος*, *Περιφήτης*, *'Αντιφάτης* Baunack stud. X 114. 116).

δι-πλάσιος, *τρι-πλάσιος* cet. a Fickio cum got. *ainfalths*, germ. *zwi-falt*, *drî-falt* comparata sunt. Qua in re cum id difficile sit, quod haec vocabula e Fickii sententia ante linguae Graecae, ut ita dicam, vitam peculiarem nata nec tamen plenam passa sint assimilationem, nos fortasse (nam quod nos contra diximus, dubium potest videri) approbatione dignam esse credimus conjunctionem cum rad. *πλατ*, quae est verbi *πλάσσω* (conf. germ. „zwie-*fach*, drei-*fach*"). Sed quamcunque explanationem probaverimus, id expedire non possumus, cur in dialecto Ionica *η* pro *ᾰ*, (*διπλήσιος* cet.) positum sit (cf. *ἀμφισβητέω* apud Atticos, apud Iones contra *ἀμφισβᾰτέω*). Joh. Schmidt (K. Z. XVI 431) putat, *διπλάσιος*, *διπλήσιος* cet. ad formas adjectivorum ut **διπλός* et **διπλή* esse applicatas, quod plus probabilitatis haberet, si in dialecto Ionica forma feminini esset *διπλῆ*, cui forma Ionica *διπλήσιος* responderet; sed Iones semper *διπλόη* scribunt; praeterea haec forma adjectivi ubique rara est, neque ex hac formas majoris vetustatis derivaverim; et si hoc liceret, quae ratio esset *α* vocalis formae *διπλάσιος*?

θεσπέσιος fortasse ex *θεσ-σπε-τιο-ς* natum est (cf. supra p. 8 *θεός*).

δεσπόσιος et *δεσποσιο-* in *δεσποσιο-ναῦται* (Myron apud Ath. p. 271 F) ex nomine *δεσπότης* derivata sunt.

ἱκέσιος descendit ab *ἱκέτης*.

θαυμάσιος refertur ad stirpem *θαυματ-*.

χαρῑσιος refero ad stirpem *χαριτ-*, cuius vocis tamen *ι* productum explanare nescio.

Κρήσιος ad nomen insulae *Κρήτη* spectat (cf. *Κρῆσσα* ex *Κρητ-ιᾰ*).

ταλάσιος „lanificus" (et *ταλασία* „lanificium") ex stirpe

ταλα- formata sunt, quam praebet vocabulum *τάλᾰ-ρος*; nam hoc de corbibus iis in specie dicebatur, quibus lanarii utebantur.

ἀπειρέσιος et *ἀπερείσιος* idem significant atque *ἀπείριος*. Quorum vocabulorum explicationes ab aliis tentatas contulit Aly (l. l. p. 9). *ἀπειρέσιος* quidem ex *ἄπειρος* „infinitus“ eodem modo formatum esse potest, quo *σιτηρέσιον* ex *σιτηρός* (cf. *βροτήσιος* et *βροτός*), sed quomodo *ἀπερείσιος* ex regulis phoneticis explicari possit non intellego; quis enim Fickii (II[3] 144) formam primariam *ἀ-περεϳετ-ιο-ς* pro recta habuerit? nec G. Meyeri (K. Z. XXII 493) *ἀπερεντιο-ς* laudo.

φιλοτήσιος (Aly p. 9) et *νεοτήσιος* (Aly p. 8), praeterea *γνήσιος* (*ἐκκλησία*) et fortasse *πρυμνήσιος* (cf. *πρυμνήτης*), *βροτήσιος* (cf. zd. *a-meretâṭ* apud Fickium I[3] 13) exitu *-ησιος* ita instructa sunt, ut stirpi in dentalem cadenti suff. *ιο* applicatum sit, e quorum analogia postea per *-ησιο-* suffixum nomina derivata primae, quae dicitur, declinationis, denique aliarum quoque stirpium formata sunt; sic *βιοτήισος*, *γενετήσιος*, *ἐπετήσιος*, *ἱκετήσιος*, *ἡμερήσιος*, *νυκτερήσιος*, *ἀροτήσιος*, *καλήσιος*. Substantivum autem eiusdem formationis videtur esse *Ἀζησία* (cognomen Cereris apud Soph., frag. 891), secundum Hesychium a verbo *ἀζαίνειν* „torrere“, vel, accuratius ut dicamus, a substantivo *ἄζα* „siccitas; situs, robigo“, apud post. „fervor“ derivatum. Alia eiusmodi Aly p. 30 enumeravit.

πλησίος dor. *πλατίος* (Ahr. II 60); cui G. Meyer (K. Z. XXII 486) praeterea comparat *τειχεσι-πλήτης*.

Eandem formationem praebet *ᾰ* vocali servata *κοράσιον*.

μνάσιον obscurae originis est.

Cum *ἀφροδίσιος* „venereus“ et nominibus propriis *Ἀφροδισία*, *Ἀφροδισιάς* comparandum est boeot. *Ἀφροδίτιος* (Beermann stud. IX 61).

ἐπι-, *περι-ναίσιος* cf. cum *περι-ναύτιος* (Diod. Sic.)

ἀκηράσιος

ἐνιαύσιος dor. *ἐνιαύτιος* (Ahr. II 60)

πλούσιος dor. *πλούτιος* (ibid.)

ἀσπάσιος comparatum cum *ἄσπασμα*, *ἀσπασμός*, *ἀσ-*

παστικός, ἀσπαστός, ἀσπαστύς cum verbo *ἀσπάζομαι* conjungendum est (cf. Düntzer. K. Z. XIII 9).

Voci *ἐπιδαίσιος* (Call. Jov. 59, scil. *οἶκος*) radicem *δαιτ* subesse censemus.

De *ἀφέσιος, εὑρέσιος, κτήσιος, λύσιος, ῥύσιος, συβόσιον* sim. cf. Aly § 20; quibus addendum videtur *Ἠλυσίον* (scil. *πεδίον*), cuius formam primariam Fick (K. Z. XIX 251) putat fuisse *ἠλυθ-τιο*, unde ex nostra sententia oriendum erat *ἠλυσ-τιο*; qua de causa hoc vocabulum ad stirpem *ἠλυ-* refero (cf. *προσ-ήλυ-τος* cet.).

Ex adjectivis in *-ωσιος* (Aly p. 30) *Ὀρθώσιος* conjungatur necesse est cum *ὀρθόω, ὀρθωτός, ὀρθωτήρ* (Pind.). Obscurioris originis est *ἑτώσιος*. Si autem jure Ebel (K. Z. V 69 sq., VI 209) *ἔτος* „frustra" comparavit cum sscr. *sva-tas* „sponte" recteque huic *ἑτώσιος* adjiciendum esse censuit, nos rem ita explanare velimus, ut stirpem fortasse adverbii loco adhibitam *sva-tât(i)* ponamus, ex qua adjectivum *σϝετωτιος* formatum sit, unde ex regulis phoneticis *ἑτώσιος*. Ceterum vestigia digammi apud Homerum exstant (cf. Ξ 407, X 292, χ 256 cet.)

ἐνθουσιος (unde *ἐνθουσιάζω*) e stirpe vocis *ἔνθεος* derivatum videtur.

In *-υσιο-* deinde praeter *Ἠλύσιον* excidunt *θαλύσιος* et Hom. *τηΰσιος*, quorum utrumque perobscurum est nec nos certi quidquam ad difficultates expediendas afferre scimus. Ac verbo *τηΰσιος* respondet forma *αὔσιος* (apud Ibycum in Et. M.); quod autem G. Meyer (K. Z. XXII 488) formam *τηΐσιος* cum adjectivo Hesychiano *ταΰς·μέγας, πολύς* conjungendum esse censet, mihi dubium videtur, quia hae notiones minus ad notionem „vani" quadrant, quae est vocis *τηΰσιος* (Hom. γ 316, ο 13. Cf. p. 89); *θαλύσιος* autem (panis Demetri sacrificatum; scil. *ἄρτος*) cognatum videtur cum verbo *θάλλω*, sed quod nomen subsit, non perspicitur.

Denique vocabula affero nuper a Baunackio (stud. X) collecta, quae per *σσ* scripta sunt, *ἑρμάσσιος* (p. 125), *ἀποστεγάσσιος* (p. 124).

Multae eiusmodi voces recentiores *τ* servaverunt, quae

neque Homero desunt, ut *ἠμάτιος*, *νότιος*, *σκότιος*; ex aliis scriptoribus affero *ἀρμάτιος*, *οἰκάτιος*, *οὐθάτιος*.

Praeterea memoratu dignum videtur, quod contra regulam multae quoque formationes nominibus actionis applicatae *σ* habent, ubi *στ* exspectamus (cf. p. 72): *δοκιμασία*, *ἐργασία*, *ϝανακισία* (Baunack stud. X 128) cet. (cf. *ἀκομιστία* cet.).

Unum restat, quod fortasse hoc in loco ponendum est, *ὅσιος*; sed nihil certi de huius vocabuli origine protulerunt.

11. APUD LACEDAEMONIOS *Σ* E *Θ* NATUM NON EJICITUR.

Ex eo, quod apud Lacones *σ* e *ϑ* natum nunquam exteritur, concludamus necesse est, priorem elisionem, quae omnibus dialectis communis est, a posteriore dialecti Laconicae propria tempore sejunctam esse.

Exempla collegit Ahrens (II 66 sqq.); quibus nuper Baunackius (stud. X 130) nom. propr. Arcadicum *Κάβαισος* e *Κάβ-αιθος* addendum esse vidit, quemadmodum *Αἴσων* ex *Αἴθων*.

In dialecto autem Laconica (Bezzenb. beitr. I 174) Fick *χάσιος* ex *χαθιος* (cognatum Germanico *gôda-*) natum esse contendit, quod nobis probabilius videretur, si exempla adessent quibus demonstraretur, *σ* Laconicum ex *ϑ* natum posse elidi, nam Hesychius praeter *χάσιος* tradidit *χάϊος*. Sed ne Legerlotzio quidem (K. Z. VIII 416) assentiri possumus, quia nobis non persuasum est, in dialecto Dorica e *χατιος* *χάσιος* nasci.

12. *Σ* AB ORIGINE INTER DUAS VOCALES POSITUM EST SERVATUM.

Quae hic tractandae sunt formae indic. sec. pers. med. in *-σαι* temporum primariorum, ex analogiae principio *σ* servaverunt, quod jam supra exposuimus, nec non conjecimus formas imperativi et praeteritorum in *-σο* respondentes esse addendas, cum iis ab initio *-sa*, non *-sva* suffixum esse credamus.

Praeterea ubi de futuris egimus (p. 66), jam indica-

vimus nos (cum Osthoffio l. l. p. 327 sq.) omnem aliam explicationem aoristorum verborum in vocales excidentium refellendam esse censere, ac quae analogia nisa esset. Atque Osthoffius putat primum σ totum evanuisse, deinde, quamvis parvo temporis spatio intercedente, σ ex aoristis stirpium in consonas cadentium, ut ἔπραξα, ἔτερψα, ἔπεισα verbis vocalibus restitutum esse; quam ad sententiam eo potissimum adductus est, quod analogiam in linguarum formatione non conservantem esse censet, sed restituentem. Causarum vero quibus praeterea hoc studet fulcire, est prima, quod aoristos ab Hesychio quasi Cypriis proprios traditos ἔνανον, ἰμίτραον residuos esse credit ex illo tempore, quo *ἔλυα cet. Graeci locuti sint. Sed haec sententia redarguitur eo, quod tituli Cyprii eiusmodi aoristos semper per σ formatos praebent (cf. Deecke-Siegismund stud. VII 221 sqq. inscr. II et VII: κατέστασε, III: λῦσαι, λύσῃ); quam differentiam titulorum et lexici Hesychiani, huic si fides est, ita explanandam esse censemus, ut credamus, apud Cyprios haud aliter atque apud Lacedaemonios (et Eleos) σ primum servatum post in spiritum asperum immutatum esse. De aoristis autem ἀλευάμην, δατέασθαι, ἔκηα, ἔσσευα, ἔχευα, quos Osthoffius quondam σ habuisse censet, jam supra exposuimus, nos Brugmano assentiri, cuius sententia, nisi fallor, eo potissimum commendatur, quod omnes eiusmodi formae una atque eadem ratione explanari possunt. Nec verisimile est, ut etiam Curtius (vb. II 279) dixit, σ ex his paucis verbis amissum (sive iis non restitutum) esse, cum haec differentia non e peculiari formatione horum verborum emanare potuerit, quia verba structurae cognatae σ praebent, ut ἔκλαυσα, ἔπλευσα. Sive igitur aliquis Brugmano assentitur, sive alia mavult [nam nec quae Curtius (Verb. II 286) de his aoristis opinatus est, ab Osthoffio refutata sunt], neque ex his neque ex aor. ἐπριάμην (cf. supra pg. 43) pro certo concludi potest, σ aoristorum aliquando usque eo reductum esse, ut aoristi sigmate carentes exstare possent. Postremo residuas esse ex illo tempore, quo σ aoristis defuerit, formas Eleorum ποήασσαι, ποήαται Osthoffius censet. Quod si

rectum esset, Schraderi sententia, qui dicit (stud. X 259 sqq.), dialectum Eleam ita a ceteris sejungendam esse, ut credamus, Eleos primos se a ceteris Graecis illo tempore unam linguam loquentibus segregasse, hoc argumento non paullum confirmaretur. Sed consulto hoc argumento Schrader ipse non usus est, quia titulus Eleorum antiquior (C. J. 31) formam ἐπόησε praebet, ex qua cognoscimus, in dialecto Elea, ut in reliquis, primum aoristos verborum vocalium per σ formatos esse et tum demum σ evanuisse. Qua in re non mirum est, quod non, ut in dialecto Laconica, unumquodque σ, quoquo modo natum erat, elidebatur; cum enim nihil verisimilius sit, quam σ ab origine conservatum et σ postea ex aliis consonis natum differentem sonum habuisse, non minus credibile videtur, Eleos alterum extrusisse, alterum servasse.

Ex his efficitur, Osthoffium, quae voluerit, non ita comprobasse, ut alteri sententiae locus non relinqueretur. Ac nos non dubitamus, quin sigmatis elisio per magnum tempus paullatim ad finem perducta sit, nec casu hoc factum esse putamus, quod in *s* consona aliquo modo immutanda fere omnes linguae Indogermanicae conveniunt; ut enim linguas Asiaticas omittamus, praeter linguam Lituanicam omnes Europeae *s* inter vocales lenes positum tractant vario quidem modo, sed ita, ut in omnibus primum ex *s* spirans lenis *z* nata esse cogitanda sit. Quaeritur igitur, num credamus σ aoristis Graecis verborum in vocales cadentium tum demum denuo infixum esse, postquam totum evanuerit, an σ priore elisionis tempore restitutum esse. Atque illud neminem credere puto nisi eum, qui magni temporum spatii, quo σ elidebatur, nullam rationem habeat. Quod ne Doricis quidem aoristis et Eleis commendatur, nam formis ut ἐπόηε, postquam amiserunt, σ non restitutum est. Nos igitur censemus, his formis σ nondum defuisse, quod sic natum putamus, ut, ubi paullo ad sonum leniorem imminutum sit, loquentes ad σ verborum in consonas cadentium accomodaverint, i. e. spirantem fortem redintegraverint. Non igitur mirabimur, quod nullus aoristus primus sigmate carens comprobatus est. Contra in

formis sec. pers. med. eandem, quam Osthoff, restitutionem factam esse habemus persuasum, quam ad sententiam dialectorum discrepantia satis superque adducimur.

Facimus deinde cum Osthoffio contendenti (l. l. 337 sq.), terminationem *-σαν* tert. pers. pl. temporum historicorum e formis aoristorum ut *ἔδειξαν*, *ἔπραξαν*, *ἔπαυσαν* in alias formas (*ἔδοσαν*, *ἔφασαν*, *ἵστασαν*, *σταίησαν*, *ἐμίγησαν*, *ἐλύθησαν*) esse translatam, quae sententia eo potissimum commendatur, quod e linguis comparatis concludi potest, *-σαν* horum non ab initio proprium fuisse. Quod plerumque creditur, hanc terminationem natam esse ex verbo quod vocant auxiliari *as*, nos non rejiciamus, si quidem de primo fonte agatur, e quo emanaverit. Quamquam hac sententia non explicatur, cur *σ* servatum sit. Cum enim cum Curtio (vb. II 235 sq.) *ᾔδεα* ex *ᾔδεσα* ita natum putemus, ut eadem terminatio, quae est imperfecti *ἔα* (*ἦα*) i. e. *ἔσα* (*ἦσα*), sit addita, cumque ex hac forma *σ* extritum sit, recte ab Osthoffio auxilium interpretandi aliunde repetitum esse censemus. Nec parvi aestimamus, quod ex huius viri docti sententia percipitur, cur praeter *ᾔδε-α* (sigmate extruso) scribatur *ᾔδεσαν*, praeter *ἔ-α* (*ἦ-α*) semper *ἔσαν* (*ἦσαν*).

Jam quaerendum est, num singula vocabula reperiantur, quorum *σ* ab initio inter vocales positum elisioni huius spirantis alias non omissae supersit. Ac ne repetamus, quae in praecedentibus ad liquidum non perduximus, neve ea cumulemus, de quibus nihil constat, paucas voces afferemus:

ἀμέσω(· *ὠμοπλάται*. Hesych.) Curtius (ind. schol. Kiliae 1856) cum sscr. *am̃sa-*, got. *amsa*, graec. *ὦμος* ita comparavit, ut putemus (in diversis, ni fallor, dialectis) e forma primaria *ἀμσω* sive *ὀμσω*, ut ex *ἐ-γαμ-σα* *ἔγημα*, sic *ὦμω*, aut ut ex *γαμσω* *γαμέ(σ)ω*, sic *ἀμέσω* facta esse, et (Grz.[4] 341) adjecit, *ε* vocalem auxiliarem interpositam esse, quemadmodum in *um-e-rus*. Quod si rectum est — nec nos aliam rationem explicandi habemus — *σ* huius vocabuli non antequam elisio spirantis perfecta est, i. e. in singulis dialectis, inter vocales positum est, nec par est

ἀμέσω accuratius ad lat. *umerus* conferre, quia altera forma Graeca respondente formis sscrae et gotcae docemur, in Graecorum lingua communi formam primariam *ὀμσο* affuisse.

μασί(· μεγάλως. Hesych., cf. *μασί-γδουπον βασιλῆα· τὸν μεγαλόηχον, τὸν μέγαν ἐν ἤχῳ* id., praeterea *Μασιμάνας· τοὺς βαρβάρους οὕτως ἔλεγον*) a Fickio (II[3] 184) cum lat. *mas, maris* comparatum est. Quod vix operae pretium est refutare, cum notiones nimis discrepent. Nec recte cum Fickio ex alia glossa Hesychiana *μάσ-τα(· ἡγεμὼν ἢ μεγάλως*) radicis farmam *μασ-* poneremus, cum glossa *μάτις· μέγας· τινὲς ἐπί τοῦ βασιλέως* confirmetur, his omnibus formis radicem *ματ* subesse, cuius *τ* aut ante *ι* aut ante dentalem suffixi in *σ* immutatum sit.

ἄσις „limus" a Fickio (I[3] 504) e radice *as* „jactare" derivatum et cum zdo *âhiti* comparatum est; sed Fickius ipse hoc ex **âsti* natum putat et formam primariam verbi Graeci *ἀστι* fuisse. Qua in re cum me et differentia quantitatis (*ᾰσις, âhiti*) et notio propria radicis *as* ad haec vocabula vix apta offendat, fortasse tamen recte a Fickio animadversum est, sscr. *asita-* „niger" comparari posse. Sed hac comparatione difficultates non satis expediuntur.

In altera huius paragraphi parte eae formationes nominandae sunt, quas posterioribus temporibus (Homerica non excluduntur) natas et formis verbi sigmaticis aut aliis formis in *σ* cadentibus applicatas esse censemus.

Sic Hesychianum *ὠδυσίη· ὀργή·* aperte cohaeret cum verbo *ὀδύσσασθαι.*

κλαυσείω, κλαυσιάω (praes. *κλαίω*, aor. *ἔκλαυσα*).

Βρισεύς cognatum est cum verbo *βρίθω* (fortasse autem ex Fickii ratione explicandi nomen ut *Βρισ-άρματος* ponendum est, ita ut pars prior orta sit e nomine actionis).

χεσᾶς a schol. traditum (praes. *χέζω*)

καυσαλίς, καυσηρίς (praes. *καίω*).

ἀλυσηδόν cum voce *ἅλυσις, ἄλυσις* „catena" conjungendum est (cf. Grz.[4] 549).

κυβησίνδα (παίζειν; est ludus puerorum) ex aoristo verbi κυβέω (cf. κυβεύω) deducimus.

Praeterea si ἔπεσον recte a Curtio explicatum est (vd. supra p. 51), πέσος, πέσημα ad aoristum, ni fallor, spectant, cum radix sit πετ.

στασάνη(· ἐγγύη, ὑποθήκη. Hesych.) ad aor. ἔστησα (ἔστασα) refero.

Nomina propria ad haec addenda non afferimus (cf. supra Βρισεύς et pg. 48 not.); nec composita, quorum pars prior speciem nominis actionis prae se fert, enumeramus, ut ἀλφεσίβοιος, cui respondere videtur unum ἀλφάνω.

πανσωλή (Hom. Β 386) suffixi -ωλη ope formatum (cf. Düntzer K. Z. XII 5) ad aoristum applicatum est, cum ἁμαρτ-ωλή, εὐχ-ωλή cet. ad stirpem praesentis spectent.

φάσακες (·συκοφάνται Hesych.) a comico quodam formatum videtur.

Ad φαῦσιγξ (neque aliter ad φαῦσις) verbum φαύω ponendum a grammaticis traditur.

Neque ulla explanatio nominis Ὀδυσσεύς nobis magis probatur, quam quae verbum ad aoristum ὀδύσσασθαι applicandum esse censeat (vd. p. 66).

χθεσινός (Luc. pro Laps. 1) et ἐχθεσινός (Anth. Pal.) ex adverbio χθές, ἔχθες ipso formata esse credo.

13. IN COMMISSURA COMPOSITORUM SAEPE Σ SERVATUM EST,

quia alterum membrum compositionis σ aut in initio aut in exitu habebat et quia compositum formatum est eo tempore quo sigmatis elisio non jam valebat. Ut igitur ea composita omittamus, quorum pars prior nomen actionis est aut speciem nominis actionis praebet (cf. Osthoff, verbum p. 169 sqq.), primum ea afferimus, in quorum parte priore casus quidam invenitur nominis.

Ἀλοσ-ύδνη a Curtio (Grz.[4] 638) et nuper a Baunackio (stud. X 88) scribitur Ἀλο-σύδνη, ita ut membrum posterius radicem συ contineat. Cuius sententiae causam Cur-

tius dixit esse, quod compositum tam vetustum sit, ut non liceat, in eius parte altera casum nominis opinari. Sed paene minus quam illud videtur Homeri temporibus aptum esse compositum e stirpe falsa formatum, nam *Ἀλι-σύδνη est forma exspectanda. Et revera apud Homerum quidem nullum compositum ex ἀλο- incipiens legitur; cf. ἁλι-αής (ἁλιεύς), Ἁλι-θέρσης, ἁλι-μυρήεις, praeterea ἁλιο-τρεφής. Denique alicuius momenti est, quod alia composita ex casibus nominum formata Homero non desunt ut ὁδοίπορος (G. Meyer stud. VI 384). Utraque igitur difficultas tollitur, si credimus ἁλοσύδνη (Υ 207) primum non propriam notionem compositi habuisse, ut etiam *ὕδνη ἁλός dici potuisset, deinde copulationem ἁλοσ-ύδνη in unam coaluisse et nominis proprii loco (δ 404) usurpatam esse. (Ad partem posteriorem cf. Fickium II[3] 259.) Ὑδατος-ύδνη apud Callimachum ex huius nominis analogia fictum videtur. Praeterea ἁλοσ-άχνη nullo alio modo explicari potest, quam divisione notavimus; quae vox, quamquam non tam vetusta est quam Ἁλοσύδνη, tamen apud Aristotelem invenitur. Adjectivum ἁλοσ-άνθινος non obvenit nisi apud Dioscoridem et Galenum. Denique huiusmodi affero: ἀνδρόσαιμον (Diosc.), κυνόσ-ουρα (apud Hdt. nom propr. Κυνόσουρα), κυνοσ-ουρίς, μυοσ-ωτίς (Diosc.) νεώσ-οικοι (Hdt., Thuc.). Alia collegit G. Meyer (stud. VI 383 sq.)

Σκαπτη-σύλη, quod Curtius (Grz.[4] 376) tractat, vix habeo, quomodo possim explicare. Ac Curtius quidem censet -σύλη comparandum esse cum lat. *silva*. Sed Σκαπτησύλη nominativus ipse plerumque positus a viris doctis in dubium vocatur; nam C. J. I p. 219 Boeckhius legendum esse censet ἐκ Σκάπτης ὕλης, apud Theophr. (fragm. 2 de lap. 17) ἐν τοῖς Σκαπτης ὕλης μετάλλοις scribitur, contra Plut. Cim. 4 praebet nominativum Σκαπτὴ ὕλη. Ex quibus concludi posse censeo, hoc nomen vim compositi propriam non habuisse, et formam Σκαπτὴ ὕλη priorem fuisse; ubi igitur postea Σκαπτησύλη reperitur, quod non omnino deest, nobis dubium videtur, num recte de σ vocis ὕλη servato cogitari possit.

Satis mirum est compositum Λυκόσουρα.

ἀσάμινθος nisi externum est, recte a Benfeyo (I 477, 23) cum *μίνθος* „caenum“ conjunctum videtur.

κονίσαλος (sive *κοννίσσαλος*) secundum Fickium (II³ 286) ex **κονι-σϝαλο-ς* natum putandum est.

κολο-συρτός (Benf. II 287) non perspicimus.

ἀνάσιλλος, *ἀνάσιλος*, si Benfeyus (II 302) recte explicavit, compositum est cum praepositione *ἀνά*, cuius generis compositiones omittimus, quia facile intelliguntur.

ἀσελγής Clemm (stud. VIII 96) ex **ἀν-σελγ-ής* natum putat et *ἀν-* esse formam praepositionis *ἀνά*. Quod quamquam non pro certo habemus, tamen, quod videam, inter omnes illustrationes vocabuli praestat.

Rarum genus compositionis est adjectivum Homericum *ἀλλο-πρόσ-αλλος*.

θνησείδιον videtur esse deminutivum (*ει* pro *ι* per itacismum) speciem compositi praebens.

Adverbii loci *-σε* in *ἄλλο-σε*, *ἐκεῖ-σε*, *ὁμό-σε* *σ* ex aliqua assimilatione natum videtur.

ἄσαρον, *ἀρίσαρον*, *ἡδύσαρον* sunt nomina trium plantarum, in quibus *-σαρο-* fortasse stirps nominis habenda est; sed contendere nolim, illam stirpem esse Indogermanicam (cf. *σάρι* nomen plantae Aegyptiacae). Praeterea mihi *σίσαρον*, *σισάριον* formae reduplicatae eiusdem stirpis videntur esse.

14. Jam ad

FORMAS REDUPLICATAS

ipsas transeundum est. Numerus enim verborum, inter quae praeter *σίσαρον* et *σισάριον* sunt *σέσελι* (Aristot.), *σέσελις* (Diosc.), *σέσιλος* (Ath., Diosc.), *σεσερῖνος* (Aristot., cf. *σίλι*), *σέσοψ* (·*ποιὸς ἰχθῦς*. Hesych.), *σέσυφος* (·*πανοῦργος* Hesych., cf. *ἀσύφηλος*, cuius notio propria dicitur „imprudens“), *σισιλιγμός* (schol. Hom. *ι* 394) idem ac *σισιλισμός* (Eust., idem significant *σιγμός* apud Aristot. et *σισμός*, quocum conferatur verbum *σίζω* „sibilare“), *σισίλαρος* (·*πέρδιξ*. *Περγαῖοι* Hesych.), *σισίνδιος* (·*γέρων* Hesych., cf. *σίνδις* ·*γέρων* apud eund.), *σισόη* (LXX), *σίσυμβρον* (Anth. Pal., Nic.), *σισύρα* (Hdt., Aristoph., Luc.), *σίσυς* (gramm.),

σίσυρνα (Aesch.), *σισυρίχνιον* (Theophr.), *σίσων* (Diosc.), nomina propr. *Σίσυφος*, *Σίσυρβα* al., explicandus est, ni fallor, eodem modo, quo *σέσεισμαι*, *σέσηπα*, *σέσηρα* al. perfecta; *σ* igitur in initio radicum secundum leges servatum propterea neque in formis, in quibus syllaba reduplicata praeposita est, evanuit.

15. Hic colligo, quae

VOCABULA EXTRINSECUS AD GRAECOS TRADUCTA

esse scimus vel suspicamur. Quorum ex numero omittimus ea, quae per *σσ* scribuntur, ut *βύσσος* (Benfey II 65) al. Re enim ipsa intelligitur, in iis *σ* nondum inter vocales positum exstitisse.

ἄνισον non invenitur nisi apud Diosc. (III 65), qui alterum nomen herbae *σῖον* affert (sejungendum a *σίον*?). Quamquam laudatur granum *ἀνίσου* Cretici, quo inferius sit Aegyptiaci, tamen haec planta non interna fuisse dicitur a doctis nisi in Aegypto.

βάσανος a Fickio (cf. Bezz. beitr. I 287) cum lit. *bandyti* „probare" comparatur, ut forma primaria fuerit *βαθ-σανο-ς*, cum antea a Benfeyo (II 65) peregrinum habitum sit.

γαῖσον sive *γαισός*, cum externum genus armorum significent, ipsa externa habentur. Cf., quae de hac re suspicatus est Benfey (II 115).

Idem valet de vocibus *γεῖσον* (*γεῖσσον*), *γεῖσος*, *γεισίπους* secundum Benfeyum (II 115). In quibus, ut in pluribus, variatio scripturae et generis grammatici ipsa suspicionem movet.

Cum vocabulis *γαύσαπος*, *γαυσάπης* comparandae in lingua quoque lat. diversae formae exstant (*gausape* et *gausapum* n., *gausapa* f., *gausapes* m.); quocirca vocabulum in utraque lingua ex externa quadam acceptum esse arbitror.

ἰσαία apud Diosc. (IV 149) nomen plantae (*ἐλλεβόρου*) Aegyptiacum dicitur.

Nomen Copticum, quocum *κἄλάσιρις* conjungendum est (Hdt., Crat.), Benfey (II 153) affert.

κάρπασος, „linum Hispaniense" (Dion. Hal.) eo insigne

est, quod forma cognata traditur *κάρβασα* „velum linteum". Nos enim tales literarum discrepantias saepe externam originem indicare credimus.

κασᾶς (Xen. Cyr. VIII 3, 6), ni fallor, linguae Persicae adscribendum est.

κασία sive *κασσία* (Thuc., Hipp., Thuc. al.) Aug. Müller (Bezz. beitr. I 281) linguis Semiticis proprium esse dixit.

κολοκᾶσία, *κολοκάσιον* est nomen fabae Aegyptiacae. Quod Benfey (II 316) dubitat de externa vocabuli origine, ego varietate generis aliquantum refelli puto.

κυρβασία „tiara cacuminata" (*ταύτῃ οἱ Περσῶν βασιλεῖς μόνοι ἐχρῶντο. καὶ κορυφὴ ἀλέκτορος* Hesych.), cuius formam alteram *κύρβασις* non allatam invenio nisi apud Benfeyum (II 313). Fick quidem (II[3] 74) verbum vere Graecum esse censet et comparat cum vocibus *κύρβις*, *κορυφή*, *κρωβύλος* cet., lat. *corbis*, *cucurbita*, quas ex duplici radicis forma *kvarp*, *kvarφ* natas facit. Mihi nihil ex his placet praeter conjunctionem vocabuli cum *κύρβις*. Cum autem res ipsa Graeca non sit, nomen quoque verisimile est extrinsecus esse petitum; quin etiam fortasse ne *κύρβις* quidem recte linguae Graecae proprium ducitur. Quam ad suspicionem non eo solum adductus sum, quod duplex formatio exstat (*τὸ κύρβος* apud Callim.), sed eo quoque quod in significationibus artis tectonicae vocabula externa saepius inveniuntur (cf. *γεῖσον*).

μέσαβος Aug. Müller (l. l. 293) non cum iis vocibus Semiticis conjungendum esse censet, de quibus alii cogitaverunt; etymologia tamen Indogermanica deest.

παράδεισος ex lingua Persica (Benf. I 138).

παρασάγγης (pers. *farsang*?)

ῥοσάτον „vinum rosis conditum" (Gal., Al. Tr.) ex lingua lat. assumptum putamus ac respondere adjectivo *rŏsātus*. Hoc eo certum fit, quod haec vox ante Chr. non legitur; scriptores autem istius saeculi formam non totam retinere potuerunt, sed aut quantitate servata *ῥοσητον* aut qualitate servata *ῥοσάτον* dicendum erat; accentus quoque Latinus translatus nostrae explicationi favet (cf. *θάνατος*, *κάματος*, *ἠλάκατον* omnia eiusmodi proparoxytona).

ῥούσιος (sive *ῥούσσαιος* Diosc. IV 131) nescio, utrum libero modo ad *ῥοῦς* (arbor quaedam, cuius fructus et cortex ad tingendum adhibebantur) applicatum putandum sit, an ex lingua lat. (cf. *russus* cet.) sit petitum.

σοῦσον in diversis linguis Semiticis reperitur: Hebraica, Syriaca, Arabica (cf. Aug. Müller l. l. 299).

ἡ φάσηλις, *φασήλιον*, *φάσηλος*, *φασίολος*, *φασήολος* (genus fabae). Quae ad illustrandas has voces tentata sunt (Benf. I 223), improbo; videtur potius nomen propter formas multiplices et propter obscuritatem originis ex alia lingua assumptum esse (cf. *Φάσηλις* nomen urbis Lyciae). Apud Catullum (4) *faselus* est genus parvum navigii.

16. Denique numerum vocabulorum componimus eorum, de quibus nec quae ab aliis dicta sunt probare possumus, nec ipsi habemus rectiora, quae proferamus. Ac valde dolemus, quod hic index tam magnus est, praesertim cum de iis quoque, quae usque adhuc tractavimus, non pauca melius hoc in loco collocanda erant. Omittimus autem ea, quae, quia per *σσ* scribuntur, nunquam *σ* inter vocales habuisse constat.

αἰσάλων „falco".

ἀσίραχος (genus locustarum) apud Diosc. legitur. Cuius pars prior fortasse stirpem *ἀσι-* „limus" continet. Eodem nomine piscem quendam significabant.

αὔσιος (Ibycus in E. M.), *ταύσιος* (Alcman in E. M.), ion. *τηΰσιος* „vanus, inanis". Ex iis, quae Benfey (II 230) de hac voce dixit, id pro recto habemus, quod stirpem pronominis subesse censet. Cf. supra p. 78. Ab Ed. Geistio (disquisitiones Homericae I. Gissae 1832) *αὔσιος* cum adverbio *αἴτως* conjunctum est, ut *σ* assibilatione e *τ* natum sit.

βάνανσος secundum Pottium (et. forsch.[1] II 196) e nomine *βαῦνος* conjuncto cum verbo *αὔω* natum est, qua ratione *βαυνανσος* et per dissimilationem *βάνανσος* exsistere debebat. Quod non probamus, praesertim cum *σ* servatum non explanetur.

βόνασος „urus" (Aristot.).

Ad *δρόσος* L. Meyer (I 60) sscr. *drap-sá-* „rorans",

Pott. (W. II 2, 268) lat. *ros* cet. comparavit, contra Kuhn (zeitschr. II 138) formam primariam **drav-sa-* *δροϝ-σο-* posuit, cuius syllaba prior *drav* forma radicis *dram* sit putanda. Ex qua forma primaria vocabulum Graecum eodem modo natum credere possimus, quo sscr. *çroni-* et Graecum *κλόνις* sibi respondeant. Quo *σ* servatum explicetur.

ἐπίσειον (Hippocr.), *ἐπίσιον* (Arist.) sunt originis obscurae. Affertur *ἐπείσιον* quoque.

ἐρυσίβη (Pl., Xen.), *ἐρυσίπελας* (med.) saepius cognata dicta sunt; sed cum alterum recte cum *ἐρυθρός* conjungatur, ni fallor, alterum vix aptum est ad hoc adjectivum, quia, quod sciam, robiginis color albus vel canus est, non ruber. Quamquam Rhodii secundum Strabonem (Benf. II 125) *ἐρυθίβιος* dicebant pro *ἐρυσίβιος*.

θησαυρός (Hdt., Aesch., Soph. al.). Quod vocabulum cum apud Pindarum (i. e. in dialecto Dorica) non obviam sit nisi ter idque semper sensum translatum exhibens, Benfeyi (II 27) divisionem *θησ-αυρό-ς* non omnino rejecerim, ita ut *θησ-* ex *θησι-* (ion. pro *θητι-*) natum sit. Quod tamen stirpem *αὐρο-* comparat cum lat. *aurum*, propterea falsum esse censeo, quia lat. *aurum* per rhotacismum ex *ausum* natum est (Fick I 512; sabin. *ausum* Van. 946); si igitur hoc veriloquium tenere volumus, stirpem *αὐρο-* non totam ad lat. *aurum* applicare licet, sed forma primaria *-αυσ-ρο-* supponenda est. Cf. Benfeyi alteram conjecturam (II 267).

ἰασιώνη (*ἰασίνη* Benf. I 289) „convolvulus“ Linn. obscurum est.

καμασήν „piscis“ Emped.

καρχήσιον, *καρχήσιοι*, si notio primaria „acuti“ subest, cum *κάρχαρος* conjungenda videntur.

κασάμον (idem ac *κυκλάμινος*; apud Aët.) obscurum est.

κίσηρις (*κίσσηρις*) apud Thuc., Ar. propter *σσ* excludendum videtur.

κοσύμβη (*σσ*), *κόσυμβος* (Poll., LXX, Dio Chr.) externae originis esse credimus contra Benfeyum (I 291, II 348). Praeterea *κόρυμβος*, *κορύμβη* cognata videntur esse.

λαισήϊον apud Hom. et Herodotum. Secundum quem

(VII 91) ex coriis bovum crudis fiebant *λαισήϊα*, quae a Cilicibus ‚*ἀντ' ἀσπίδων*' adhibebantur. Quocum plerumque adjectiva *λάσιος* et *λαιός* comparata sunt; sed certius nobis videtur, glossas Hesychianas *λαισάς· ἡ παχεῖα ἐξωμίς, λαίσπαις· βούπαις* cet. conferendas esse.

μίσυ (Med., Diosc.). Cum fungum tuberi similem apud Theophr. significet, non longe abest, de radice *mit* cogitare, ex qua verbum lit. *mintù, mitaú, mìsti* „ali“ formatum videtur, ita ut suffixum *-συ-* ponendum sit.

μόσυλον Dioscorides ad externam, ni fallor, plantam significandam usurpavit.

νῦσος secundum Nonnum dicebant Syracusani pro *χωλός*.

Cum *οἴσυπος* (Diosc.) cf., quae eandem notionem habeant, *ὀϊσπάτη, οἴσπη* (Hdt. IV 187), *οἰσύπη* (Hipp.), *οἰσυπίς* (id.), neque aliae formae desunt: *οἰσπότη, οἰσπώτη, οἴσπωτον*. Atque in priore parte stirpem *ὀϝι* latere, nec Graecis ipsis, ni fallor, alienum fuit; formas enim versicolores e veriloquio haud satis dilucido explicandas esse censeo. Fickius deinde (II[3] 257) lat. *sûcus* comparavit, cui differentia quantitatis non favet, nec, quo sensu verba adhibeantur, significatio suci primaria ostenditur.

ὅσιος jam supra (p. 79) attulimus.

ὄσυρις est planta quaedam apud Diosc., Gal.

παισά· πλακούντια παρὰ Κῴοις (Ath. p. 646 F; idem affert Hesych.)

πλαίσιον „tetragonum oblongum, omne corpus huius formae“ Curtius (Grz.[4] 669) cum *πλάθανον* cet. (Grz.[4] no 367[b]) cognatum et e forma *πλαθιον* derivandum esse dixit. Cui dubito, num assentiar, quia *πλαίσιον* non planum in universum ut illa vocabula, sed formam certis finibus circumscriptam significat. Adest scholium hoc (Van. p. 553): *πλαίσια ὥσπερ πλινθία, ἐν οἷς πλινθεύουσι* et fortasse *πλαίσιον* cum *πλίνθος* cet. ipsis cognatione cohaeret.

Πρόσυμνος (Benf. I 464) et *ἡ πρόσυμνα* situs in Argolide a parte Asterii fluminis nominatus est. Quas voces Fick (personenn. p. 73) inter composita numerat.

VITA.

Carolus Alfredus Müller Scheibenbergensis natus sum anno huius saeculi quinquagesimo quarto patre Christiano, matre Bertha e gente Guntermann, quorum hac adhuc vivente gaudeo. Primis literarum elementis in urbe patria imbutus tertium decimum annum agens progymnasium adii Annabergense; tunc discipulus factus sum gymnasii Zvickaviensis, denique scholae Nicolaitanae Lipsiensis, cuius testimonium maturitatis viginti annos natus accepi Lipsio rectore praeclaro. Deinde scholis Universitatum *Tubingensis*, *Göttingensis*, *Lipsiensis* interfui philologicis, glotticis, philosophicis, historicis, quas habuerunt viri doctissimi: Blass, Flach, Kugler, Roth, Schwabe; Benfey, Goedeke, Lotze, Sauppe, Wachsmuth; Braune, Brugman, Curtius, Drobisch, Heinze, Hübschmann, Lange, Leskien, Lipsius, v. Noorden, Overbeck, Ritschl, Voigt, Windisch, Wundt, Zarncke. Göttingae per unum semestre sodalis fui proseminarii philologici Wachsmuthii inprimis auspiciis et per tria semestria in hac urbe societatis Georgii Curtii grammaticae, cui viro clarissimo maximas gratias habeo.